


NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
2 F
15



Ex libris Abbatis Antonij [illegible]

HENRICI LVDOVICI CASTANÆI DE LA ROCHEPOZAY

Pictauorum Episcopi

DISSERTATIONES ETHICO-POLITICÆ.



PICTAVII,



Apud Viduam ANTONII MESNIER, Regis & Academiæ Typographi.


M. DC. XXV.



LECTORI.



VSIMVS hæc olim dum ciuilium motuum æstibus exagitatis ad grauioris commentationis studia animum aduertere non dabatur, quòd si operam in ieiuno isto argumento luserimus, vna pusilluli libri contractione errationem meam solabor, quæ temporis perperàm aut inaniter certè contriti breuitatem arguit.



DISSERTATIONES ETHICO-POLITICÆ.

CAP. I.

VANITVDINIS ET KENO-*δοξίας penuriâ ambitionem creari.*



VM inordinatus dignitatum ambitus regnorum euersor, idémque animorũ immanissimus tortor, ab atræ bilis hypocondrijs insidente morbo(qui inuerso ordine non contrarijs vt cæteri, sed morigeris modis ac rationibus curatur) haud procul absit, eiusdem notæ medicamenta in vtracunque inualetudine statuere maximè admodum consonum est. Quemadmodum autem cuilibet melancholica laboran-

tium phrenesi, ad saniorem mentem sensim reuocandam libentissimis animis concordamus: sic cum ambitiosis meritorum suorum erga rempublicam institoribus, qui friuolis astupent titulis, quòd summissiora vota meditentur, & multùm citra debitum ipsis ornamētum consistant, vehementiùs expostulandum est, vt agnitâ natalis originis, quę Deum etiam Optimum Maximum parentem vltimum refert, præstantiâ, contemptu humiliter fastuoso cuncta quæ intra cœlorum cardinem conclusa sunt viliora seipsis, & longè infra eorum fastigium vtpote peritura deputent: hac etenim viâ insanabili fermè mentium deprauationi consuli posse suspicor, vt iamiam planiùs insequenti sermone constabit. Atque vt erroris istius deterrimi ac vitij peruagatissimi scatebram in nugatorijs animis iugiter emicantem retegam; non alia certè cēsenda est, quàm quòd perblāda illa for-

tunæ melioris,vt vocitant, commenta furenter expetimus ob aliquam præstantiam (virtutis quippè honor præmium est) quam penes nos esse remur, aut saltem cæteris persuasum esse volumus,&, quia pluris putamus ea, nobismetipsis:quasi ex eorum inani fulgore, cæculorum oculos duntaxat perstringente,eximia humanæ genti claritudinis fiat accessio. Sed hac certè ratione in statuendo nobilitatis nostræ pretio quotquot sumus omnes extra modum hallucinamur.Nam præterquam quòd *tota rerum natura vmbra est, aut inanis, aut fallax*, ac perquam exilia sunt terrena omnia,quorum elapsa pars euanuit,impendens ac casura hauddum extat,& quæ in manibus est,indiuiduæ rationis suę lege,dicto citiùs,quámque vt sensibus percipi queat,acri incitatione præteruolat : quidnam quæso immortali animæ, depressioris ordinis ideóque languidioris energiæ res quibus non

Senec. ep. 89.

ingenita, ſed ex enormi erubeſcendáque abiectione noſtra, ieiuna quædam & aſcita commendatio ineſt, conferre valent aut apponere? vilia quippè ſunt *& hoc ipſo videri poſſunt quòd pretium habent* non ſolùm hoc aſpero ſæculo, quo magno mercantur, verùm etiam iam inde antiquitùs, cùm plerique ſemper ad ſublimia reipublicæ munera malis artibus, deformi obſequio, aut ſaltem ſupplicibus verbis, quæ non parui ducenda ſunt, *cùm nulla res cariùs conſtet quã quæ precibus empta eſt*, gradum ſibi fecerint. Cùm verò finiti & dimenſi ad interminatum & immenſum nulla ſit comparatio, ideo quę modicis circunſcripta limitibus & modulis, (cuiuſmodi ſunt res omnes humanæ licet primigenius nitor ſingulis adhæreſcat,) animi cœlo oriundi, cui inexhauſto vigore innumera præcipere, effingere ac transformare peculiariter tributum eſt, captum ægrè paſcere aut permulcere,

Quintil. 12. cap. 7.

Senec. 2. de benefic. cap. 1.

nedum

nedum explere possunt. Quòd si occurras, præmij humanæ amplitudini rependendi portionem aliquam, corpori quoque cuius concursione totũ hoc hominis conflatur, assignandam, haud equidem abnuerim, dummodò ad magnanimitatis & frugalitatis præceptiones tuendas, quousque patitur decor, eidem inseruiamus, ne transuersis tramitibus aut transultibus probrosis illius honestamenta petamus: quãuis reuera animæ vim, ferè totius, vel ipso partis nomine obtinentis, ac repercussu potentissimo consociatum corpus illustrantis ratio potissimum habenda sit. Illi enim dum corporeæ molis circunfusa est crassitudine, non caduca & mobilia insignia, sed purissima, quæ non immarcescant, naturęque suæ illimi congruentia, quantum in nobis situm est perpetim concilianda sunt; vt simul ac ei organis omnibus expeditæ illinc euolare contigerit, ad

æthereas sedes ineundas paratior reperiatur. Instabis forsan, illam penitùs nobis insitam innotescendi appetitionem, cui etiam circunspecto iudicio præditi nonnunquam indulgent, ferendam esse; tum quia æuum per opacam emetiri caliginē probrosum quodammodo censetur; tum quòd eius quæ integra & perfecta ratione vtitur rei decus & ornamentum commendatioris famæ celebritatem necessariò efflagitat. Verùm hoc itidem effugium neutiquam graue erit intercludere, cū *habeat vbi se in priuato lare explicet magnus animus*, & absoluta suis numeris humana ratio; notitiam sui & cæterarum rerum sibi cohærentem, non autem exoticam aliorum de se tantummodò desideret. Siquidem cuiusuis rei accurata ratio præcipuè à fine, finisque ingeniti amplexu spectatur, vnde cognosci aut magnipēdi ab vniuerso mortalium cœtu, ad generis nostri cōple-

Senec. de trāq animi cap. 3.

Arist. 4. Eth. 3.

mentum nullo pacto profutura ſunt: quandoquidem noſtrapte duntaxat culpâ vel pietate, deſignato nobis cœleſti domicilio excidimus aut muneramur. Indidem quoque ſuboritur magnanimorum de vulgari exiſtimatione non magnoperè laborantium, in detrectando virtutum ſuarum præconio animoſa dedignatio. Qui enim nihil magnum toto terrarum ambitu extra vnum animum Deo ſoli inhærentem, granditatem honoris cuiuſlibet mundanę rei nauſeãtem, & veluti proculcantem circuncludi probè ſentiũt, quanti euanidum vocis iactum, & inſulſę garrulitatis ſtridulum tinnimentum pendere poſſunt aut debent? Nouit vtique magnanimus cumulatæ virtuti, cuiuſmodi illa eſt à qua nomen trahit, nullam quantumuis rutilantiũ titulorum immenſo ac cœlo exæquato aggeſtu condignam venerationem præſtari poſſe, cùm ipſa cæterarum vir- *Ariſt vbi ſuprà.*

tutum velut ornamentum quoddam supremæ expolitionis sit, eiúsque beneficio terrenę spernaces gloriæ repudiatis alto vultu honoribus longè cõspectiùs quàm delatis & in sinum admissis inclarescant. Quapropter cum propriæ dignitatis inscitia, cui persola literarum tractatio subuectura est, omnes propemodùm gentium orbis incolas transuersos rapiat, & à retentando officij decoro perplurimùm detorqueat; nihil magis Principibus adlaborandum est, quàm vt gymnasia cuiuslibet ordinis instituendis adolescentibus extruant, locupletent, foueant: nulla enim in re affluentiùs munificentia refert gratiam, & inani illi, & vagãti per externa ambitioni solida & hærente in animi bonis ambitione subuenitur.



CAP. II.

EXTRARIOS HONORES & aduentitios, etiam ab appetentioribus famæ prorſus omnino perdeſpuendos.


IRTVTIS vſque adeò nobis inſidet inenarrabilis nobilitas, vt qui magis eius deſtituti ſunt præſidio, ad exteriores illiuſmet titulos obrepere contentiùs enitantur: hac enim ſpecioſa inſtrati perſonâ deſtinatas ſerijs recti cultoribus fruges demetere ſubdolè commeditãtur: quamuis nunquam ſalebroſum virtutis iter niſi auerſis forſan veſtigijs ex mendoſo hominum more carpſerint. Sed vbi ærumnoſis ac teterrimis obſequiis ad deciduæ decus aliquod glorię euecti, oſtro coruſcante ſibi intemperantiùs plaudunt, ac ſi lepido quodam

ludibrio imperitum vulgus deludificati essent, acutulorum sensu, quibus laruata hæc pectora non sunt imperspicua, perfacilè deprehēditur, eos omnino germana quam profitentur claritate defectos esse, & sub eius vmbra tantummodò, velut infra commodatitium operimentum, parum pudenter delitescere. Vnde ni omnibus ferè, iuxta priscorum Rhetorum eminentissimi nimioperè hactenus quotidiano vsu comprobatum documentum solenne, illud vitium penetraliùs inhæresceret, vt *quo quisque minùs valet, hoc se magis attollere & dilatare conetur*, quantâ maximâ fieri posset nauitate rei ipsius, solidæ veritati potiùs quàm simulachro vacandum esset, eo potissimũ consilio, vt animi serenitatem supra fortunas omnes amplissimas concupiscendam, limite compendiario nancisceremur, & ignominiosam simulationis notã procul à nobis amoueremus.

Quintil. 2. cap. 3.

Peſſimè namque diſſimulantia atque illiberaliter apud omnes audit, eiúſque ferè ſemper infortunatus eſt exitus, pręterquam quòd *cùm multa adſoleat veritas præbere veſtigia ſui*, & *nemo poſſit perſonam diù ferre*, nullus eorum qui aſpectui tantùm conſulunt, adeò ſui obtegens eſt, vt ſi tãtulùm ſubinaniore gloriola introrſum titilletur, inductis ſibi pigmentis extrinſecùs aut coloribus, inambitioſus habeatur: puro quippe virtutis nitori nunquam infucata quantumuis morum vitioſitas, ob diuiduum illorum contubernium cõcolor euaſura eſt. Vt autem quod exorſus ſum celeriùs aliquantò detexam, duo aſſignari honorum genera vulgare eſt. Vnum quidem eorum quos regum nobis indulgentia ex ſupremæ poteſtatis amplitudine profuſiſſimè dilargitur: alterum verò præſtantioris notæ, illorum videlicet è numero qui ex sẽſis, ſecretioribuſq; receſſibus ani-

Liuius lib. 40. Senec. 1. de clement. cap. 1.

mosæ & erectæ circa verum decus mẽtis emanantes, virilis roboris ac fortitudinis genuini, & velut peculiares natiui soli fructus censentur. Intér quos hoc maximè interest, quòd priores pedissequis nostris æquè ac nobis, pro summatum libito, nullo nostro merito intercedente contingere possunt, extrariique quodammodò & aduentitij apposita nomenclatione nuncupãtur. In posterioribus contra est, cùm ita ex nobis pendeant, vt quotquot magnatum & humiliorum capita orbis terrarum capit, generosi facinoris viro meticuloso aut inaudaci cogitatum indere non valeant: ideóque nostratis huiusce claritudinis ex proprijs facultatum animæ nostrę fontibus depromptæ minima stilla, immenso alienæ illius & nonnunquam aucupio vituperabili à potentioribus emendicatæ pelago anteponenda est, (condonabit, ni fallor, aquatilem istam similitudinem

dinem vel inuenuſtè fortè prolatam non inuenuſtus lector, vbi me non ſolùm abſtemium, ſed & abſtemio parente prognatum eſſe intellexerit.) Qua itidem ratione ornamentorum nobis à Regibus, ſub quorum nutu vitam degimus, impertitorum, excelſiùs ſemper quàm ab externis acceptorum, creditur faſtigium; tum quia peregrina huiuſmodi munera vt minimùm integræ ſubditorum fidei labem aliquam aſpergunt; tum etiam quòd egregiè factorũ præmia vbiuis gentium, domeſtica certiùs trutinâ quàm peregrina exiguntur. Inſuper animam corpore, corpus fortunis pluris facimus, & ſic gradatim de cæteris, prout nobis coniunctiora ſunt: quoniam quæ nos proximiùs tangunt, eò magis ad noſtrę cõmoda naturæ (cui innato inſtinctu primę charitatis partes ab omnibus deferuntur) videntur accedere, nobiſque proptérea chariora ſunt. Ex his colligi-

tur,frustra siticulosos gloriæ foris nũquam remissa consectatione conquirere,quæ singulis hominibus prouidentissimè vniuersitatis rerum procuratrix natura inseuerit , cum oblatarum dignitatum & diuitiarum,àut tremendi in quo strenuè se gerant periculi aspernatione,honoratioris claritatis productiores(vt sic loquar)tractus trahendi,animósq; suos propria virtute beatos extra desiderium omnium collocandi , largissima ipsis copia sit. Habet enim mens nostra reconditum apud se temporariæ fœlicitatis, quâ ad sempiternam calle angusto itur,nobile seminarium , cuius tanta fœcunditas inter commentandum agnoscitur , vt quotquot illo ad omnia, quæ intercurrunt in hoc vitę fluctuantis turbine , philosophorum more aptè ornatéque vtuntur,nullius operâ vel subsidio ad fortunatè viuendum indigeant. Quæ cùm ita se habeant,quid istuc tam mirũ est


si perrarò sapientibus fortuna vultu benigno blanditur? stolidorum scilicet duntaxat futilis est mercedula, quâ superna & congrua prouidentiæ quibuslibet aduigilantis hominibus lege, viles animæ in paucos & fugaces dies exatiantur, nè omnium animi velut infortuniorum compotes legitimæ conquestionis voces effundant. Quo etiam planè modo, corpore deformatos homines, natura nunquam nouerca, ingenij acumine & dicendi venere, vltrà vsitatum ordinem ad staturæ damna resarcienda, semper aut plerunque remunerat.





CAP. III.

OMNIVM RERVM *obtentum, prӕterquàm debiti officij longiſſimè ab humanis actionibus eſſe relegandum.*



NEPTIVNT ſeu delirant potiùs haud mediocriter, qui directam iuſti officij deſerentes viam, anfractuoſis humanarum rationum feruntur ſiniſtrorſúm callibus, vt ornamenta fortuita, & alia vilioris notę commoda ſibi copioſiùs applicent, quæ nemo vnquam invulneratę mentis ſordidis artibus adipiſcenda duxerit. Ad hęc namque ſiue directum ſiue obliquum teneamus iter, cęco quodam magis caſu (ſi fas dixiſſe) quàm vllo noſtro merito, aut aſſiduo venatu peruehimur. Vt autem quot, & quàm inexuperabiles

obices anhelantibus in huiusce incœptionis progressu remoram faciãt, multò magis eluceat, ex his quæ non rarò probi quique experiuntur, argumentũ ducere mihi destinatũ est. Si quis enim exempli gratiâ, non misella terrenæ remunerationis expectatione, sed pio synceræ mentis feruore concitatus, luculentum aliquod facinus Reipublicæ etiam insuper saluberrimum, ad secundos exitus per medias circunstrepentiũ hostium flammas miro labore perduxerit, illicò sanè pro reponendi beneficij vice immane plurimorum odium & rabiosam inuidiam sibi conflabit, primùm quidem æqualium, deinde imparium & inferiorum, qui inepta æmulatione, maturiùs illum propterea ad dignitates quibus acriter inhiant, promouendum esse suspicabuntur; demũ virtutis osorũ atque integritatis, quorum condensa cohors marinæ, nec non fluuiatilis arenæ promiscuè congloba-



tæ innumerabilitatẽ exuperat: postremóque prædonum cuiusuis ordinis, egentium ob nimium luxum, obæratorum & maleficijs infamiũ, quibus prouinciarum quietem turbari, omniáque nouari maximo semper fuit vsui. Qui quidem vniuersi huc & illuc passim cõcordissimo concentu, præclarum illud factum scurrilibus facetijs ad astãtium rictum multa cachinnatione distendẽdum appositis, certatim ex sua quisque facultate extenuabunt, & peruersa colubrini ingenij interpretatione, quæ nunquam non pronis auribus accipitur, contumeliosè discerpent. Veruntamen ista se confertissima emergentium vndique nugarum congerie, quâ mundanæ cogitationes miserabiliter obteruntur, & velut à stirpe conuelluntur, ludibũdus extricabit, quisquis sanctas veri officij leges sigillatim euoluendo, immensum eius pondus animi sui sensibus fideliter commendauerit,

atque itidem inculcauerit. Diſcuſſa quippe popularis ignorationis opaca nube, ſingulos actus ſuos ita ad immobilem recti normam aptandos eſſe intelliget, vt periculoſam quamcunque aleam vulgi rumuſculis, ſummatum minacijs, ac terriculis pariter neglectis, adire nunquam hæſitet, cùm quolibet perſonarum delectu remoto, nequaquã ei quibus aduerſetur, ſed cui deſeruire ſanctione diuina teneatur ſpectandum aut curandum ſit. Quòd ſi fortè graſsãtium diſſidiorum ancipiti & periculoſæ concertationi illum inemori contigerit, nihil eſt quòd tantoperè cœleſtis tribunal fori tanquam inhumanum expaueſcat, quandoquidem nullus illîc præfractioris & abſciſſioris iuſtitiæ vſus, cuius tamen mitigatæ auſteritati quotquot munus ſuum religioſè curãdo mortem oppetunt, multò minùs obnoxii ſunt. Tranſeo nunc ad vitrea mortalis huius ęui præmia, quorum ſpe

fallacissima non ferè nemo veluti vitalis auræ ventulo immoderatè pascitur: eiúsque inanitati manifestariæ
Senec. ep. 81. primo accessu objecerim, *rectè facti, fecisse, mercedem esse*, sicut & *sceleris in*
Senec. ep. 97. *scelere supplicium esse* traditur: quod quidem adeò verum est, vt qui aliter sentiunt, insignem ipsissimæ virtuti (cuius rectè facta surculi sunt) iniuriã irrogare videantur; tum quia suomet decore cumulata nullius rei indiga est; tum etiam quòd cùm cœlo oriunda sit, vnde deorsum in terras ad humanam gentem exornandam Dei beneficentiâ deuolauit, nihil prorsus meditatur abiectum,&vno patriæ sedis desiderio perquàm acriter tangitur. Præterea cũ valdè pauci,si qui sunt, absque aliquo capitis discrimine vel cruoris, multa exquisitæ fortitudinis ad Dynastarum fauorem eliciendum facinora in hunc diem ediderint; quisnam,quæso,pecude paulò ingeniosior,cassa tantulæ gra-

tiæ

tię ductus ratione, præcaram tantique putandam vitæ mercem, quæ nusquam gentium pretio proſtat, ambiguæ caſuum ſorti aleæque temerè permittet? etenim quantauis laborum ſuorum & anguſtiarum præmia laturus ſit, plurimum ab aditis & fortunata ſorte declinatis diſtabunt periculis, nec vnquam alia alijs comparata ad perfectæ amuſſis legem vllo tempore ſibi mutuò reſpõdebunt. Quòd ſi infeſto ferro in ipſo opere tranſuerberatus ſpiritum efflauerit, exinde nihil illi cunctæ terrarum opes atque dignitates proderunt, quas pluris feciſſe quàm vitam viſus eſt, dũ temporaneę mercedis, & fluxæ dignitatis intuitu vitam cum morte, imò cũ moritura mercede tanta cæcitate commutauit. Illud etiam nequaquam prætereundum eſt, candorem illuſtrium factorum & nitorem eorundem remuneratione nigreſcerę atque propémodum obtenebrari, qui in dies conſtanti

regiorum donorum repulsa aliquantò validiùs inalbescit, & quodammodò renouatur. Nec desunt, qui eadem quoque ratione gestorum delibatum meritum, ac memoriam sensim aboleri probabili coniecturâ asseuerãt: sicut & persoluto semel operarijs diurna mercede conductis pactionis pretio, quælibet sudorum antecedentium obliteratur æstimatio, & omnis deinceps extinguitur mentio. Quibus patefactis non magnoperè mirandum est, si nonnulli generosioris & minimè forensis & venalis animi, fastidita exsudatorum laborum compensatione, cuius spem vniuersam diuinæ benignitati delegauerunt, sua se gratuita virtute & probitate inuoluunt & metiuntur, atque inclyti facinoris vel tantulam partem vastissimo regno sapienter anteferunt. Nempè non eis principatuum ambitus cura est, nec insatiabilis magnificè clarescendi in populo libidinis ardore


torrentur, optiméque norunt debitis honoribus excludi longè honorificentiùs esse, quàm illorum incremẽto præter æquum &meritum insigniter adaugeri. Sed vt instem argumento, & qua reges à subditis veneratione colendi sint, conciso verborũ ambitu circumplectar, is nobis animi habitus qui iustam in loco re vrgente suggerat obedientiam, planissimè comparandus est; vt eo instructi, quæcunque priuatis nostris rationibus ab illorum throno cõmodè vel incommodè ceciderint, placidâ mente sustineamus, nec vllo vnquam gratiæ vel intolerandæ quantũuis offensionis intercursu, debitum intermittamus officium. Hoc qui sedulò curauerit, nullam ex rerum euẽtis molestiam vnicè securus hauriet, ferinos calumniatorum laniatus perinde habebit, ac si feriæ commendationis vim & gratiam experiretur. Quòd si casu non insolito, steriles magnates de quibus

optimè meritus est, ingratis illum modis aut indignis acceperint, tunc nacta testandæ non parùm constantiæ opportunitate bellissima, in summum se expetendæ magnanimis gloriæ culmen euasisse, lætabundus arbitrabitur.



CAP. IV.

ERVMPENTES TVMVLTVS armis non vsquequaque comprimendos.



VM illis ipsis quib' constant & coalescũt, foueantur singula vt plurimùm & perennent, imperiáque ferè omnia armis sua primordia accepta ferant, quælibet regiæ potestati altrinsecùs, quocunque demũ obtentu fiant, repugnantia, ferro itidẽ toto pectore propellere, rationi minimè dissentaneum videretur. Sed si vspiam *omnia priùs* ex Comici sententia *experiri quàm armis sapientem decet*, quo-

Teren. Eunu.

niam nimirùm vltrà extrema, quæ defugere tutissimum est, non datur progredi, id apprimè in vrgentibus defectionum angustijs accurare conuenit, maximè si Prícipis ætatulâ incolarúmve euolaticorum perfidiâ regnum laboret, exitiosissimisque hæresum vel partium pestibus diuexetur. Cùm enim nil bello grauiùs aut funestiùs queat mortalibus contingere, obices illi molliores, non repagula vt torrentibus, non terricula vt nubibus erupturis, vnde vnde obiectare astu, donis, dolis bonis, blandimentisque, quò procul facessat necessum est, administrorúmque etiam obstrepente consessu, emutanda potiꝰ & eroganda nonnulla ad alienam libidinem, donec rebellantium impetus resederit, vt Regis sarta tecta quodammodo retentetur auctoritas, quę pubescentibus eius annis progressu compari assimiliter adolescat. Quòd si mente eadem turbulentis perstante nihil pro-

cedat,& quę præpotentibus illecebris factio consanuisse debuerat, truculentiùs recrudescere videatur, Principis deinceps multùm interfuerit (quando sine eius peccato fit) vel cum prouinciarum periculo, de iure suo imperióque legitimo cum peruicacibus ferali prælio dimicare, atque adeò omnes machinas commoliri, nimbus vt ille tumultuosus quàm ocyssimè præteruolet. Huiusmodi autem non rarò ciuilium tumultuationum exitus esse consueuit: vt enim acriora sunt gentilium odia,& strictiùs agglutinata, citatiori molimine dissiliunt; ita si minùs inter indigenas eiusdémve ditionis incolas, inter quos indiuidua solet esse necessitudo, conueniat, flagrantiùs exæstuant. Quæ enim maximè adunari & cogi par est, oborto vtcunque dissidio eò ampliùs dissident. Vltimi verò huius discriminis cunctabunda protractio sontium subinde infamiam, regis-

quę auget potentiam, cùm ſæpè deſpe-ĉta lætiùs fruticetur clemētia, qua præcurrente aſſequi Rex voluit quod per vim & properam violētiam extorquere potuiſſet; quod quatenùs prorogetur, & aduerſus quos rebelles, cùm alij alijs authoritati Regiæ & Principatui ſummo infenſiores ſint, ſola Regis, eiuſque ſecretioris conſeſſus perſpiciētia ſedulò diſcreuerit. Principem hoc loco ſubmonere inter momentoſa eſt, vt omnium contentione neruorum diſſociandis rebellibus vim ſuam impendat, eiſque (penitiſſimis quantumuis angatur præcordijs) quæ ſatis decorè dilargiri poteſt, & ipſi adipiſci geſtiunt ſine mora concedat: iniurioſiùs namque expreſſa, vbi collibuerit ſorti, & omnia ei fuerint rebus ſedatis ſolutiſſima, mero iure ad irritum ſine vindicationis fideique libatæ crimine relabi patietur: vt hoc præſertim infauſto ſucceſſu, à cuius ſcelere ipſe aberit,

qui seditionem posthac affectarint duriores pœnas dependere, ampliùs aliquantò reformident.



CAP V.

GALLICANOS TVMVLTVS illiteratæ & incultæ nobilitatis vitio & operâ præcipuè concitari.


NVNQVAM certè plurimorum equestris lucidum decus ordinis conspurcantium mendosos mores eiusdem & ipse ordinis detegerem, nisi nouissimis affatim prorsus reuicta essent tumultuationibus, quæ modò ex veritate rerum necesse habeo effundere. Quis enim tacitus ferat perturbatricē regnorum hæresim, horum socordiâ Dei Ecclesiam & Gallias perpopulari? sacras ædes vixdum pagatim à proxima excisione instauratas denuò incendi?

di ? augustissimúmque Eucharistiæ Sacramentum, ne quid inuiolatum sit, pedibus in eorum etiam qui se Catholicos profitentur oculis obteri? quod sępe nimiùm à decennio non sine horrore audiuimus. Quocirca dicam confidentissimè, nobiles malè à puero institutos Gallijs perpetim funestas calamitates inuehere, cùm in id redacti sint inscitiæ, vt quid Deo, Regi, patriæ, sibique debeant nihil planè intelligant, ideóque licentiorem ab incunabulis traducentes vitam, tyrannicæ inhumanitatis suę in cædenda primùm famulorum turbâ tyrocinia ponunt, donec confirmata ætate membris valentes, rusticani generis viros, qui vicos castellis eorum circuniectos accolunt, belluina feritate ob leue dictum, aut delictum, vsque ad animæ deliquiũ diuerberent. Mox in luxum quemcunque effusi, atque ære alieno demersi, rapinis dedecorosis prædabundi victitant,

nullisque quorumuis rebellantium incœptis non se præbent socios. Quin & in spem collocupletandi se suffragante temporum perturbatione vocati, impotenti adeò cupidine alienis fortunis inhiant, vt illis vno turpis lucri nomine, etiam ad internecionem vsque, si casus ferat, effusis habenis in patrios lares desæuire debacchari que certum sit, Ducique tumultuario sceleratioribus magis obsequenti (cùm, rebus quantuluncunque conturbatis, despectissimo cuique commilitonum caloni aut semilixæ mos omninò gerendus sit) libentiùs sese credant. Illa verò deridenda est inertia, quâ velut spectabili virtutis opere delectantur, cùm prima literarum elementa, rei familiaris rationem, seruitiorum & equorum suorum numerum ignorare se palàm iactitant: adeóque supinioribus illepidę istæ delicię cordi sunt, vt aliquid ritè exercere, aptéve exequi religioni habeant.

Vnde diſtorto geſtu de induſtria frequenter veteris proſapiæ viros per vrbiũ plateas perequitare videmus, quaſi fuſcinâ caballo iniecti illîc fortuitò hęrerent, eóſque mirum in modum iuuat hæc incuria. Parùm etiam abeſt, quin & vigilantes, comedentes, ambulantes, num ſomno experrecti ſint, genuinum agitent, gradum ferant, necne dubitare ſe ſimulent; quaſi verò ignominioſum illis foret intelligere quod factitant. Minimè igitur mirum eſt ſi nobiles ita morati, nouatorum partibus iam olim adhærendo, exoriẽtem quæ nunc graſſatur hæreſim, ceu furialibus ſtimulis agitati, inſano conatu ſtabilierint, & hoc etiam tempore refoueant, cùm impendioſi lurcones qui ingenti fœnore penè præfocantur, ludere prælia, bellique prolatandi rationes exquirere ſoleant, quo diutiùs creditæ ac conductæ pecuniæ ſolutionem effugiant, & nefarijs latrocinijs, quibus extra modum lę-


tãtur;indulgeant.Quamuis autem plurium defectionum memoria,annalium nostrorum voluminibus ad euocandũ in legentium genas ruborem, satis superque consignata sit; illud tamen vsu nimio nunc liquescit,multò crebriores rebellationes extitisse,ex quo noua hęc Sacramentariorum monstra in communem perniciem nouit & admisit Gallia,quæ protinùs operæ fidelis erga Regem oblita prouincia rebellatrix euasit,tantóque furoris impij deflagrauit incendio,vt morbum quendam infidelitatis omnes ferè incolarum mentes inuasisse non absurdę diceres.Ex illo namque tempore nihil sancti apud nos fuit, quod verbis arguere omninò superuacaneum est,cùm perfidi & proditoris crimen à gentis nostræ principijs execrabile,affixam sibi turpitudinis labem non solùm prauitatis assuetudine deposuerit ac excusserit , sed etiam quodammodò videatur esse in

pretio. Taceo de diritate in res ſacras, quæ nullis templis indeiectis vbicunque poteſtas data eſt, ipſos etiam Sacerdotes immiſericorditer excarnificatos prætrūcatis membris abnecauit: vt obiter indicem barbaram ſingularis certaminis immanitatem, quæ fundatiſſimas familias exſcindens, regni fundamenta ſubruit, eidem quoque deteſtandę Sectæ vitioſitatum omnium altrici, & quę primitium torrem tantæ incenſionis atque inhumanitatis patriæ noſtræ intulit, incrementa ſua debere. Etſi enim maioribus noſtris non inuſitata fuit hæc alternâ pereundi manu ſanguinaria fatuitas, toto tamen ſæculo bis térve (vt multùm) inter ſe huiuſmodi carnificinam exercebant, cui nunc vix dies ſufficiunt, cùm animis hæreſi obbruteſcentibus, vbique in ſingulas horas prouinciæ cæde mutua cruententur. Denique cùm radix cunctorum criminum ſuperbia, irreligioſis

sectis arctissimè tãquam indiuulsa qualitas conglutinata sit, quisnam dissidiorum ciuilium crebritatem recentium Pseudeuangelicorum doctrinæ & prauitati peculiari nomine ascribendam esse diffitebitur & negauerit? Nam si ex perduellibus & illiteratissimis illis nobilibus, quibus nihil inquinatiùs & insciitiùs est, causam tam vsitati rebellij curiosè sciscitaberis, hæc tantùm sceleribus suis tegumenta prætendent, non ex æquo se laborum suorum à Rege præmia esse consecutos, nec meritorũ hoc tempore rationem vllam haberi: quæ quidem effrænis animi & linguæ intemperiæ ab arrogantia proficiscuntur, cuius acriùs viguêre vires, simul atque certissima hæc animarum lues Luthero-Caluinistica Gallijs incubuit. Quàm verò intoleranda sit huius responsionis, quę vappam potiùs quàm patricium decuerit, impudens amẽtia, ipsæmet animaduertent mentes que-

rulæ, si impigrè quæ agrestiores & plũbeos non fugerent homines qua valent mentis acie inspectare voluerint. Res enim decoræ & honestę quantiuis sunt pretij, rectéque facti pacata meditatio inconditas istas remunerationis auiditates & spes improbas excutit; cùm & præmijs euocari puerile sit, quæ generosarum actionum gloriam deflorant & infringunt. Sed vel ex hoc vno, nobilibus peculiari sibi nomine inuictum animi robur, & infractam fortitudinem vindicantibus, ab huiusmodi querimonijs temperandum est, quòd *inualidum omne naturâ querulum sit*, proindéque contemptui cumprimis opportunum. *Senec. 1. de Ira, cap. 13.*





CAP. VI.

RESPVBLICAS NVNC apud nostrates Gallos nullo prorsus pacto condi posse.



VLLVM mihi vel tenue discrimen cum ingenij Francorũ intelligentibus futurum esse sat scio; nimis enim hactenus inter omnes diutinâ tot Regum serie,& suprà millesimum vertentium imperij annorum prorogatione parendi studiosum & scientem, sed vni dũtaxat adeò pertinaci studio fuisse constat,cæteræ vt monarchiæ Gallicam vetustate grauem & venerandam vel longo interuallo sequantur , eique peramplum præcellentis antegressionis testimonium ferant. Sed vt perperam opinantibus & populare dominiũ per hæc tempora non obscurè vendi-

tantibus aliquatenùs medeamur, quasdam haud aspernandas monitiones hîc signare constitui, quibus haud socorditer expensis voti minimè compotes fore se, & nihildùm ad subinanem illam quâ pascuntur, expectationem concitandam esse parati manifestè comperient. Ordiar autem à notioribus, ab illo nempè gentico latiùs omnium auribus insonante & inueterato obsequio, cuius longiùs exempla repeterem, ni fœdum istud & inquinatum sæculum, qui prioris intemeratam virtutem spirãtia aliquot exemplaria redderet, perstante etiamnùm antiqua illa constantiâ, quę temporum lapsu neutiquam potuit antiquari. Nam Clotarij, huius nomẽclaturæ secundi, qui ætatis quarto mense Rex consalutatus est, & vulticulo necdùm plenè efformato, in cunis infestas hostiũ acies (quod de Hercule Poëtæ fabulantur) proterruit, atque ad quadragesimum quartum vsque

annum,quo vitâ functus est,imperitauit præstabile specimen,Gallos sanctiori quodam officio suis Regibus addictos,nunquam de illorum magnitudine nisi diuinè cogitasse nimioperè coarguit. Et non quidem immeritò cùm eorum patrocinio tot turbines euaserint, & tantæ maiestatis velut desuper detonantis terroribus procellæ caliginosæ,quoties in nubes densissimas aër coaluit, profligatæ sint, vt aduersùm fortuitos & incessentes casus,atque ipsam immoderatam seruitudinem lenissimis istis moderatoribus,qui volentibus non inuitis dominantur,*neque subditis quidquam præter iniuriæ, & pereundi licentiam eripiunt*, prospectum sibi affatim exploratissimum habeant. Oræ verò positioni cœlique inclinationibus procliuitatem hanc in monarchas illorum fauorabili affluxu fotam,& ab ipsis regni primordijs coalitam,deferendam existimo:quod certè qui temperamen-

Salust. Catil.

tum regionis noſtræ à certo graduum numero cœleſtis plagę,cui ſubiacemus, dimetietur,non poterit meo iudicio à meliori capite hanc gentis noſtræ obduratam propenſionem euocare: cùm grauiſſimus author tres Athenarum notabiles ſitus,trinam diuerſámque regiminis formam mordicùs expetijſſe referat, quod tanta in vicinia non niſi climati ytique tribuendum eſt.Quo fit vt non ob aliud genus illud Democratici dominatus,quòd inſidioſo libertatis apparatu pronuper non ſine aliquo Monarchicæ poteſtatis rubore appetebatur,à Gallijs excluſerim,quàm quòd incolis ingenita rerum nouarum cupido,& decantata iamdudùm in conſilijs capiendis rebúſque trutinandis mobilitas, etiam perpauculos in commune vix ſinat conſulere. Obtrudet forſan aliquis,apud oſtiorum Rheni accolas, ſitu nobis,morum ſimilitudine,&promiſcuo Belgarum nomine cognatos &

Plut. Opuſc.

Cæſar. Cōm.3. & 4.

conterminos, non incommodè huc vsque Democratiæ locata esse fundamina, nec absurdè similia apud nos posse tentari. Sed vnum hoc opposuerim, communem illam & indiscriminatim iam olim toties nobis pariter ac illis exprobratam volubilitatẽ, naturâ cœli Belgici qua magis ad Arctum vergit multoperè temperari: quendam enim actuosis animis velut torporem (venia sit dicto) algoris illîc nimiùm sæuientis fœtum, ingenerat & inducit, qui sicut flexilis moderationis parens est, quâ maximè popularis concordia procuratur, sic & alia bona ex eodem algido fonte, ab illo sęculo quo claritas apud alias gentes esse desijt, hîc edidit. Nam, ne torpedinem illam maleuolente genio nobilissimæ genti vitio dedisse insimuler, fatebor libentissimè, superiorem inferiorémque Germaniã huiusmodi in hac calamitosa Reipub. literariæ orbitate viros protulisse, qui

eruditorum omnium consensu Musarum alumni dicendi sint, eámque in scientijs venustioribus excolẽdis etiãnùm curam admouent, vt perspicaci eorum atque limato iudicio, quotquot in dies fœlici partu & effluxu prodeũt volumina, meritò supponẽda sint. Pergo porrò nunc ad instituta, &, vt vno telo quicquid ex aduerso obijci potest, configam & terebrem, ordinem nobilitatis, regiæ potestatis deciduum florem, ac veluti singularem surculum, tãtorum nominum quibus inclaruit auito nitore apud Gallos valentissimum, attentiore cura perlustro. Ab illo enim multis vaframentorum inuolucris mẽtitam libertatis imaginem in noxam singularis imperij & regiæ dominationis obtegentibus, miræ potissimæque difficultates enascuntur, cùm sagaciores nobilium, qui insulsis ratiunculis minimè ducuntur, non fugiat *Regem hominem esse, à quo impetres vbi ius, vbi in-* *Liuius lib. 2.*

iuria opus sit: esse gratiæ locum, esse beneficio, & irasci & ignoscere posse: inter amicũ, atq; inimicum discrimen nosse. Leges è contrà Rerumpublicarũ *rem surdam, inexorabilẽ esse, salubriorem meliorémque inopi, quàm potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris: periculosum esse in tot humanis erroribus solâ innocentiâ viuere.* Pulchrè itidem, qui in illis mentis nobilitate atque corporis aliis præstant, norunt, Regi minimè indecorè se substerni, quem Deus cæteris omnibus prænitere voluerit, cuius limini obuersari & aspectu refoueri cùm libet assueti sunt. Antiqua etiam imperia maiestate quadam & religione commendari, quibus impia consilia confringuntur, vel rebelles in ipso insultu non diffitentur: atque in hoc Gallici orbis vetustiore iuxta ac honestiore famulatu Regis bello & pace propugnandi curam velut notam gentilitiam magnatibus, quòd infensiùs sibi quoduis aliud seruitium

fore proſpicerent,& connexa commoda fortunáſque omnes in eius vnius anima collocatas intelligerent, fuiſſe antiquiſſimam, ſi tantillùm veterum annales laborum repetierit, quilibet perſpicuè deprehendat. Ad hæc quod caput rei eſt, cùm omnibus altos ſpiritus gerentibus, ſubmiſſioribus parere ob ingenitam ſuperbiam graue ſit, *neſcia tolerandi nobilitas* quocunque tandẽ poſt varias viciſſitudines inclinarit, legitimo tantùm obtemperabit domino, ne temerè & inſcienter reluctata, conſeruo & contribuli, aut certè capite cenſis & è fœce populari euectis hominibus demùm miniſtret, ſeruiat, obſequatur, atque errati non paruo ſcelere admiſſi eam ſubinde pudore ſuffuſam non mediocri ſuppœniteat. Ecquis quęſo tam cæcus animi eſt, vt de miſeranda nobilium in Democratijs ſorte, & liberi modò ſanguinis hominibus non ferendo dehoneſtamento

Tacit. annal 3

dubitet? quorum si fortè nonnullæ supersint reliquiæ contumeliosè (ne grauiori vtar vocabulo) tractantur, & inani ex facultatum amissione quiritatu ringentes multam ludunt operam, quę satis habui delibare. Hæc igitur nobiles nostri viderint, & antiquum illud suum auorum decus certatim æmulentur, ne *libertatem aliorum in suam vertisse seruitutem* tandem incassum aliquando *inter se conquerantur*: siquidem effusum cursum in apertam natiui splendoris lituram tenent, qui speciosis æquè ac callidis veteratorum sermonibus causas armorũ & popularis dominij struẽtium tantillùm permouentur, nedum fidem adhibent, aut sua inconsultè factiosis studia, fronte vel mente deuouent & profitentur. Certè Democratiæ ferè omnes in summatum perniciẽ nunquam non institutæ sęuam in tyrannidem desinunt: quoniam Principibus etiam per vim amotis, magnates quamplu-

Liuius lib. 2.

quamplurimi opibus necessitudinibúsque præpotentes supersunt, qui *tantùm in Republica posse postulant, quantùm habent virium*, legibúsque prioribus solutos populos, & *magis sine domino, quàm in libertate* otia degentes, iterùm cruda adhuc manumissione non operosè subigunt. Vnde scitè admodùm emonet Philosophus, corpus Reipublicæ non ex nobilibus, sed ex agricolis conflari, quos ad ęqualitatem redigere procliue est, popularéque regimen pari facilitate deprimi, quâ derepentè excitari. Illud accudendum, eò delirij misellos quosdam exulcerato rabie animo procurrere, vt regni nimiam diuturnitatem, quę etiam vltrà statutas metas ab huiusmodi computoribus processerit, causantes, vltima hæc illi instare tempora nænijs fanaticis ominibúsque funestissimis malè præsagiāt & interpretentur. Quorum efferis sedandis & cōmitigandis æstubus commemorasse

Cicero. lib. Ep. ad Brutum ep. 10.

Tacit. anna. 2

Arist. 6. Pol. cap. 4. & 5.

sufficiat, quęlibet imperia à Deo in Ecclesiæ incrementum & subsidium esse proculdubio stabilita: nec minùs illorum, quàm huius, cuius gloriæ ancillantur & seruiunt, fines humani ingenij perspicaciam latêre: Francicum porrò imperium ob egregiam præ alijs in Ecclesia propugnanda nauatam operam perennitatis primas tulisse, & præ cæteris à pietate ac peculiari diuini numinis ductu celebrari, cùm non solùm Reges nostri ritu inter inaugurationis solennia perpetuo, sacro delibuti sint oleo, quod iamdudùm ętatem vnà cum imperij insignibus cœlo fluxisse annales prisci non dubitanter attestantur; sed etiam strumarum curandarum vim mirificam, cuius apud omnes rumor increbuit, diuinitùs acceperint. Quocirca velut repercussu (esto exenterentur improbi) vt nugatoriæ isti amentium diuinationi occurramus contrà asserendum est, malè ominata illa breui, vt vo-

lunt, desitura perpetuitate diuturniùs, & in dies magis ac magis efflorescens portendi dominium, cùm nunc sub Principe Ludouico XIII. moueat lacertos, & præter spem omnium grandæuitas regni quasi redintegrata iuuentute repubescat: siue hoc Deus Ecclesiæ arctis iam olim rebus, quæ auxiliares Reges nostros de more veteri exposcit, tantam benignitatem indulgeat; siue quia regnum istud nobilissimum, cuius eodem tenore fulgor per tot curricula sæculorum edurat, inter illa præsagâ mente à Daniele præmonstratum, quæ Antichristo in anteambulonibus suis grassanti obluctari diuino placuit consilio, ad vsque mundi inclinationem & deflexum protendi & propagare necesse sit. Gradatim itaque resipiscentes malè sani desinant euanida cogitata quæ plurimas ac potentiores manus poscunt, & in iocos hodie exeunt perpetim contechnari. Innumeræ quippe,

cuniculis aut armis perpetuale hoc regnum tumidis factionum fluctibus immersabile, omni tempore nutaturo & lapsuro persimile, quod vlla tamen sine iactura sæpiusculè ad præceps accessit, appetentibus difficultates suboriuntur, nec vnquam facinorosus quantumcunque exoptatus illis ambitione perstrictis, syderatis, ex animi sententia continget exitus. Quinimò inaniloqui rabiosulas hasce voculas procaciter & temerè effutientes, solido hîc superstitibus fortasse nobis, & apud Manes suis ex insignitis, nobilibúsque flagitijs perenni mulctabuntur infortunio; fabulosis illis qui etiam inferna regna transuersis animis prensauere, à quibus ipsi intercepti & prehensi sunt, heroibus accensiti.





CAP. VII.

LEGALIS VSVM IVSTITIÆ, etiam non seruato communi iure, Monarchis in subditos subindè cõpetere.

DEVS reges imagines sui, quæ mundo prælucerent, voluit esse, eisque potestatem amplissimam, quâ rebus mũdanis præsunt, quáque quantũ sit eius numen facilè colligitur, mortalium exæquatam captui vberrimè transcripsit & contulit. Hoc autem in singulis effulget perspicuè, sed in gestis & facinoribus præcipuè, quæ regio nomine & iure præclarè edunt & obeunt: Cùm enim terrena iustitia à cœlica, velut primęuus à trunco surculus oriatur, Dei velut moduli & prototypi æmulatur prouidentiam, cui vniuersalis machinæ & quorumuis principatuum res-

pondet administratio. Quemadmodū verò, licet sibi Deus leges certas præfixerit, quibus iuxta imperatum naturæ ordinem lenissimè cuncta stata & visitata, vt nostri Mystæ loquuntur, prouidentiâ moderatur, præter illas tamen insolenter ac præter morem operatur, quâ miracula patrat, quâ rebus periclitãtibus, veris, sed miris, & exoticis modis opitulatur, vnde stupor humanus & extases, quasi perturbato & emoto orbe exoriuntur: ita Monarchæ quibus hoc attemperatum est procurationis publicæ genus, vtpotè quibus cœlestis imperij portio satis ampla concredita est, præter præfinitum aliquando & statum ius, quod ipsis authoribus & legislatoribus acceptum referri debet, multa dùm subditorum bono consulunt ob easdem iuris rationes publicas, sed priuatas, sed latentes, & quę mysterijs sacrorum cœlestium similes sint, sciscunt, imperant, exequuntur. Neque

tamen eapropter suas leges egrediuntur, aut legirupæ vocitandi sunt, cùm nulla eis dicta sit lex, & à capite Reipublicæ, cui nemo, qui potestatis imminutæ sit, præsidet, primam omnes ducant originem. Quòd si iamdudùm legibus, sanctores earum, solutos esse percrebuit, vna principatus, cui circunsepiendo vniuersa conspirant, grauiorũque ei adiunctiori annexu rationum adhærentium gratiâ, id vsurpari manifestum est: cùm quod ad lites & forenses controuersias, & priuatas facultates, iisdem singulari indulgentia legibus, quibus infimi sponte teneri non fastidiant. Non enim sanus quispiam abnuerit, æternam regni sui, & magis fortunarum populi sui quàm suarum salutem, legum conditoribus imprimis esse propositam, qui eius, quod sibi perpauxillum obesset, aliquam haberi rationem neutiquam decernerent, primariúmque statutum, ac potissimùm

eorum consilium in continenda republica versari, vtpotè, quo soluto vel sublato, miscentur omnia, & pariter quęlibet rectè constituta corruunt. Hæsitantibus istuc documento sit, summum nempè illud ius & imperium, quod in subditorum caput & fortunas plenissimè reges obtinent, altum Dei omnimodè dominatum resipere, eandémq; quodammodò nuncupationem induere. Ex legali quippe iustitia regiæ potestati addicta, principi in priuatorum res pro re nata ita competit, vt illi multò plus in eas pleniori earum mancipio, quàm peculiarium prædiorum regnatoribus liceat, in quos etiam pro iure dominatus amplissimi, vitæ necisque potestatem exercet ad libitum. Quæ vt inuenustiori quàm par esset, at è superiori gymnasio, vbi limatè hæc expediuntur, petito stylo dilucidiùs aperiã, & quantùm scriptionis huius fert contractio, paulò fusiùs reddam; Geminam

dari

dari apud homines iustitiam; etsi non obscurum est, proloquar: alteram particularem seu consuetam & vsitatã, quæ certis sãctionibus, velut cancellis, quos procerum potestas illis præscripsit, vbique gentium, vbi vrbanitati locus est, constringitur, cui in priuatis priuatorúmque negotijs duntaxat locus est: generalem alteram seu communem, quæ quatenùs vniuersalis virtus & latè patens est, omniúmque virtutum actus & munia ad commune bonum ordinat ac dirigit, legalis indigitatur. Hæc autem cautione perapposita penes Respublicas & legiferos Reges est, vt eis suopte non extrario subnixis præsidio illicò stati iuris praxim immutare, interpolare, & perfringere, sicubi res cõmunis postulauerit, integrum sit. Etenim euenit sæpissimè inflexibilẽ quorundam facinorosorum perduellium priora scelera repetentium peruicaciã, contestata crebriùs summi Dynastę ef-

fusum etiam parentis studium erga illos exhibentis beneuolentiâ minimè superari, eúmque latentium adhuc, sed quę ipsum non lateant, coniurationum formidine obtorpescenti similem in graues vsque adeò senticoso tramite compelli angustias, vt impendentis ruinę mole quàm ocyssimè opprimendus foret, ni solennis ac contriti iuris, cuius imbecillitas, ingenti quòd nimia toleratione inualuit, malo percurando nõ sufficit, ancipiti periclitatione prætermissa, nouo quodam & austeriori more, luxuriantis sceleris, & defectionis proserpentis proteruiam compesceret, vltimáque detondente admota manu, velut resecatione retunderet. Verùm qui erectos illos animi motus, & istiusmodi elatas mentis notiones non capiunt, viriles indidem actiones emanantes, culpant vtplurimùm & redarguunt, quia editiores virtutes à vitijs ob confinium tenui adeò distant

limite, cùm *maledicus pro libero, temerarius pro forti, effusus pro copioso* identidem *accipiatur*, vt vix politiæ peritis tam obscura discrimina ex omni parte pateãt; patebunt verò si acroamata superioris Lycæi non ignorauerint, quo vno hoc implicatum non pigebit explicare. Quandocunque res & subsidium (quod medium vocant) quod ad finem fert, à fine diductum & solitariè sumptum, non solùm variâ quapiam adiacente circunstantiâ, sed intrinsecùs malum est, & penitissimè fœdum, bonitatem finis non posse contrahere, qua ratione furto quæ in vsus pauperum deinceps erogentur subducta, eiusmodi benefica largitione nequeunt tantillùm meliorescere: at è contra si medium, vt premisi, seorsim spectatum indifferens sit, vel mobili aliqua, & vaga circunstãtiâ mali rationem induat, finis vtique bonitati admisceri, & cum eo implicari potest. Etenim homicidium inter- *Quintil. 2. cap. 13.*

iectum quid est, & medium eiuscemodi, cui, nisi fortè priuato mandato aut iniuriâ perpetratum sit, mali appellatio non quadrat, vnde si æqua de causa & regijs fiat auspicijs, iure censetur admissum, atque ob mutuatam finis vim, iustis actionibus annumerandum venit. Assimiliter nonnulla id genus gratia facinora à Regibus indicta, quæ priuatis & popularibus ingenijs quandoque videntur iniquissima, quamuis, si à rationibus quibus authores permouentur diuellas, præter fas & æquum sint, æquissima nihilominùs & pernecessaria eorum iudicio, qui sublimi & potestati legalis iustitiæ, Principisque in subditos commensa mente præditi sunt, meritò dijudicantur, quòd coniuncta cum demandantis consilijs, & hoc mutuo nexu, velut iusto connubio deuincta, rectissimè expendantur. Siquidem vtilitati publicæ moderatores arte & industria occultissima inuigilãt,

& quicquid huiusmodi non priuati cõmodi, aut impotentis impetus gratiâ suscipiunt, iustum protinùs & legalis æquitatis normæ consentaneum omninò censendum est. Et ne vana sugiller profudisse, Salomonis quorumuis sapientum coryphæi ad exemplar pendentes animi relegare visum est, qui fratrem natu minorem Adoniam, postremæ patris vxoris Abisag nuptias impensiùs expetentem, indictâ causâ curauit enecari: auentem imperij virũ hâc iterùm regnum affectare viâ acutissimè conijciens, cui occupando, parente etiamnùm superstite, seriò se comparauerat. Etsi verò fratricidio temperandum est, & quælibet sacrosanctis mandata paginis (vtpotè diuino gesta monitu) neutiquam in exemplum trahi deceat, ex eo tamen tale quid si casus arctior tetulerit, despecta gentilitate, dùm per eam periculo propiùs admouetur præceps principatus, posse tenta-

3. Reg. 2.

ri non obscurè colligitur. Porrò tantũ abest hoc facinus diuinam indignatio-
3. Reg. nem mouisse, vt mox Salomoni Domi-
3. nus secundior ac beneuolentior in sō-
nis apparuerit, & ei quæcunque depostularet, impetrãdi facultatẽ obtulerit, quâ moderãter vsus admodum ingẽtis Rex animi, vnã haudquaquã cunctatus præoptauit sapientiam, cuius celso post id locorum in fastigio sessitauit. Cætera & nos stylo tanti operis, quo radix mali in republica serpentis demetitur, æmulo resecamus, nam exilem hunc ad legalem æquitatem astruendam excursum factis penè similibus rancidum vsque ad fastidium refercirem, si intentiore cura singula, quæ prophanorum notæ melioris authorum schedas excutientibus obuersantur, complecti ferret animus: verùm ea constituto tramisi silentio, ne me censor argutulus in re arcana multiloquij traduceret. Valeant ergo qui superstitione anili sum-

mates suis legibus, & circunscripto inferioribus iure, nullo prorsus pacto solutos volunt: & si quando huius exempli occurrant aliqua, querelas omnes de Principibus, quorum sub nomine diuina potentia improbatur, ac nefandis verbis concerpitur, & *quorum nemo est, quem non grauis fama perstringat*, vt dissentaneas æquo & bono amãdare meminerint. Nostrum enim duntaxat est assiduissimè reputare, certum illis à Deo altius, & ferè cœleste iudicium, vnà cum laborioso populorum regimine tributum esse, & in his quæ maioris consilij sunt, vulgus imperitorum cæcutire.

Capitolinus in Marc. Antonio Philosoph.



CAP VIII.

IMMODICAM CLEMENTIAM maximè in perduellionis reos meram esse iniustitiam.



I vnquam in Principes aliquâ conquestionum licentiâ fas esset incurrere, oppidò id in clementes fieri nimiò plus pertolerandum videretur. Dùm enim exẽplo pessimo benignitatis suę plusculùm ostentui(ne dicam ostentationi)quàm subditorum quieti consulũt, securiorem perfidiam faciunt, & intestinis contentionibus luculentam materiam comministrant, quoniam *si clementes esse voluerint, nunquam deerunt bella ciuilia.* Quamuis autem potentiores lenitudo cumprimis condeceat, pensitãdum tamen est institutas à mundi opifice fuisse dominationes, vt omnibus ad

Cicero lib. Ep. ad Brutum ep 2.

ad vnius obſequelam reuocatis, infe-
riores mutuas contradentes operas mi-
nore negotio concordarent, quorum
Rex rationibus quantus quantus eſt,
aduigilaret,& tranquillitatem priuatis
commodis anteponeret. Publicæ nam-
que quietis ſummo cum imperio vin-
dex ſupremus dictus eſt,qui ſubcuſto-
dũ miniſterio viciſſatim creditos pro-
curet populos, & pro liberis examet:
cuius certè muneris ſalutari ſecuritate
ſecluſa, vel tenuiſſimas partes exequi
perquàm magno conſtiterit, vt etiam
me tacente nemini non eſt exploratũ;
cùm ea ſit quorumlibet noſtri ſæculi
homunculorum peruerſitas,quæ nullis
queat monitionibus coërceri,ni acrio-
ra præſidia conglobatim compararentur.
Vaſtiores verò prouinciæ nequiſſimo-
rum colluuione propterea nebulonum
exuberant,quos cùm ab vltimis perhi-
lùm abſint vitijs, nunquam turbarum
tædium capit,proindéque, ſi ad earum

gubernacula sedentibus noxæ discauere aliquantillùm cordi sit, ad àcerrimã recti normam sese componant necesse est, ne in vitium clementia excidat, & *veterem ferendo iniuriam, inuitent nouam.*
Publ. Syrius Mim.
Isthinc emanat vt minimùm, iuris seruationem illam vsitati, quam aliàs peropto perpetuam & perpetim illibatã, vna diræ necessitatis efflagitatione interdùm solui. Siquidem boni communis, hoc capitali, in quo nihil iniqui nõ inest, crimine contemerati, tam ponderosum est momentum, vt politicarum præceptionum, quarum tanquam fulcris Dynastiæ sustinentur, vbi iuris gentium formatores, illud inultũ perpeti irreligiosum rati sint; ideò quòd nimia illęc clemẽtia à iuris infractione nomine tenꝰ discrepãs, quâ petulcis viris ac perditissimis paratior est venia, exitiales tumultus remoliendi libidinem incutit, rerúmque summam inenarrabili principis ac priuatorum dis-

pendio suffodere assolet. Neque tamen hæc inhumani ingenij, aut corrugati supercilij decreta dicēda sunt (ita enim iustitia & summum ius in crudelitatis partem cederet, quod omnifariàm iniurium est) sed quoniam *si prohibita impunè transcenderis, neque metus vltrà, neque pudor est*, in profligatos homines, & maximè legitimi principatus osores, aut æmulos exempla insignita statuenda sunt, *ne obsit benignitas, & his ipsis quibus videbitur benignè fieri, & cæteris*, quos etiã cum authoribus mansuetudo superuacanea sæpiùs infœlicitat. Principes autem pernimiùm dissolutos & indulgētes ijs, qui aliquam præ se ferunt seueritatem peccare grauiùs, quamuis in vtrisque velut in extremis iniustitia delitescat, fidenter asseuero. Etenim cùm iniquitas in alterius nocumento versetur, & peccata proximum oblædentia grauiora censeãtur, leuiori profectò noxa obstringitur, qui pauculo-

Tacit. anna. 3

Cicero, offic. 1.

rum supplicio, multorum ad quos animaduersionis formido dimanat, improbitatem compescit. Contrà moderator lenissimus conniuendo ingentẽ perbacchandi illecebram impunitatis fiduciâ, consceleratissimis prouincialium sufficit & subministrat, quâ non solùm scelere veniâ absterso, idem patrator iam lætitiâ exultans in illud reuoluitur, sed & eius auspicata sorte quamplurimi lutulentam æquè vitam colentes occæcati, deformioribus etiã vitijs faciliùs immerguntur. Non secus atque caducam domum inualido adminiculo suffulcientes inquilinorum saluti nonnunquam officiunt; ædes quippe subsidentes ne admodùm quidem excors incolere velit, sed cordatos vel maximè homines fallacibus earum, at speciosis fulcimentis præfidentes inopinus casus frequenter superobruit. Adde summatim illegalem istam iniustitiam, quam hæc maximè immo-

dica clementia præ se fert, magnatibus duntaxat peculiarem, immensam malorum, quibus regna labefactantur & collabascunt, struem inuehere. Nam vitiũ quod longè latéque diffunditur, istiusmodi est, quod primam ex publicæ vtilitatis contemptu ac citimam originẽ ducit, cuius despicientia charitatem vniuersam, quæ singulas virtutes performat, acriter oppugnans, vniuersis maleficijs patulam propandit viam, & quálubet meatum præbet: Vnde vitia quælibet quatenùs communi aduersantur bono, iniustitiæ rationem obtinẽt, ac si ex illius intima radice medullitùs pullularent. Quocirca non temerè est quod quantæuis commendationis Dauid rex, in ipso vitæ exitu (quo *3. Reg. 2.*
tempore etiam sceleribus cumulatissimi, cruenti recordationẽ affectus piaculari delictorum pœnitentiâ conterunt) vltiones quasdam, seu potiùs castigationes legitimas, quibus sacramẽ-

to adactus ad hunc vsque diem temperauerat, Salomoni filio supremis tabulis, velut deiurio solutus, studiosè demandauerit. Haud dubia quippe coniectatione præsenserat, necessariæ animaduersionis intermissione cæcos tumultus horridis stragibus offerciendos à perduellibus benigniùs habitis iterũ adornatum iri, quorum cogitatis nefarijs à sapientiæ alumno iuxta parentis monitum (quod ab altissima illa populorum salutis speculatione seiunctum vix vllam satis idoneam expurgationẽ admittit) cauta antegressione obuiam itum, ne reipublicæ noxæ essent. Vbi tanto exemplo fretus indicandum esse reor, vltroneas Principum pollicitationes etiam iureiurando confirmatas, à sacramentis solennibus apud iudices dictis, aut aliqua pactione expressis, nõ parùm diffidere. Cæterùm perplexioris huius circa testamentum Dauidicum controuersiæ, colluctantium ar-

gumentationum pugnacitate laborantis, altiùs mihi enodatio repetenda est, atque à circunfusa caligine pro virium modo vindicanda. Quod præsto summatim hoc vnum innuens, summatum virtutes infimatum esse vitia, & è conuerso plerumque. Procerũ enim sumptuosa magnificentia proluuij apud inferiores arguitur, quorum retrorsùm ipsa liberalitas fœliciùs nummatos optimates dedecet, ac tenacitatis infamiâ commaculat. Nam cùm virtus in morali mediocritate non physica collocata sit, quæ suapte natura latitudinem aliquã rectæ & modulatæ rationis seruatricem obtinet, ac proinde mutabilis est, pro alio atque alio situ, & tanquam vario syderis, id est rationis, aspectu adaugetur & decrescit: vt in edacitate planum est, quæ si fortè ob aliquam corporis intemperiem, aut natiuum calorem superfluentem manduconi cuidam & inexplebili viro, vt Mi-

loni Crotoniatæ inhæreat, nullã prorsus ille labem sustinet: cùm tamen alteri itidem manduconi, qui cibis se multò minùs ingurgitauerit, detur vitio, eò quòd præeuntis naturæ & habitudinis ingenitæ modum quadantenùs excesserit; id quod, quàm virtutes & vitia Principum ad amussim aliam ab eorum virtutibus & vitijs qui illis subsũt exigenda sint, satis ostendit. Quemadmodum enim æstus maris horsùm & illorsùm oberrans, variâ nascentis vel senescentis lunaris globi motione, quo cum arctissima illi æquè ac obscura intercedit cognatio, intumescit ac mitescit: ita prout alia atque alia est hominum conditio à dignitatibus, à diuitijs, ab artibus, & scientijs profecta, virtutũ humanarum fit quædam mirabilis vicissitudo: nec magis variant fluctus aspectu Lunæ multiformi, quàm diuersa oritur ex multiplici sorte hominum animi motuum commutatio. Nullus

autem

autem altiùs effertur animus, quàm qui regius eſt, cùm non alio limite virtus Heroum terminetur, vt quorum nomine tùm hiſtorijs, tùm fabulis magnitudo animi regum celebratur. Horum verò authoritatis vim qui probè tenuerit, hęc parentis penè depoſiti ad filiũ mandata ab omni vel leuiſſimo crimine nedùm à vindictæ labe vindicabit. Non enim inficias ibit, quin à tam pio iuſtóque Rege nouiſſima, eáque in re adeò graui, pręceptio, ſit legalis iuſtitię quædam velut appendicula, cuius beneficio (etſi per leges alienis tantùm in diſceptationibus ſententiam ferre conceditur) Reges ſuopte ingenio à primis regnorum incunabulis ſibi ius dicere, bella ritè indicere & ciêre, vt illatas luant iniurias, vel res repetant, continenter ſolent. Horrendum namque belli opus, & illa prædura iuſſa, de quibus iniecta eſt mentio, vltricis inter æquitatis ſpecies cenſeri, vel apertiùs

nobis iniqui neutiquam diffitebuntur; quàm quidem variè ob discrepantia, quę ad finem comparata sunt, subsidia, & infinitum potestatis discrimen Reges priuatique administrant, vnde quæ posteriorum gesta vltio sibi vindicat, si prioribus aptentur, ratio iustitiæ exornat & condecorat. Atque vt dictis ab inimitabili Latinitatis cultore aureis verbis pensum absoluam, *Iniustitiæ duo sunt genera, vnum eorum qui inferunt; alterum eorum qui ab ijs quibus infertur, si possint, non propulsant iniuriam. Nam qui iniustè impetum in quempiam facit, aut irâ, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus violenter videtur afferre socio: qui autem non defendit nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.* Quo maximè notantur reges, omnium enim qui omnia in regno sunt, vtpotè instar regnatricis animæ in corpore, bello aperto, diris etiã clàm in caput insigniter malorum im-

Cicero Offic. 1.

peratis facinoribus, iniurias propulsare debent, vt furunculi, prouincialiúmque deterrimi, qui propalàm à debiti muneris religione desciuerunt, & quorsũ res fluant, súsque déque habent, vno velut impetu penitùs profligantur. Ferendus quippe, aut obijciendus metus est, cùm tantum contagij intra regni septa residet.



CAP. IX.

MAIESTATEM REGIAM operosiùs tantillùm deteri, quàm vel leuiter libatam penitùs labefactari.



CTVRO de Monarchis multa nimis maiusculi sudoris ac spiritus, quæ captũ exuperant meum, ad grauissimæ thesis fontem ab imo pandẽdum de vnitatis ratione forent mihi prænarranda, à quibus industriæ meæ ner-

uis indubitans tempero,ne argumenti vbertate, velut facilis & secundantis auræ illectu in longinqua prouectus, confragosis eiusdem argutijs opinanter illidar. Subductis igitur inornatæ orationis meę velis,quàm angusto verborum ambitu effieri poterit, quæ effusiùs prosequenda essent, substringā, totóque pectore,ne odiosa circuitione in disquisitionis huius ductu stylus ad superuacanea deerret prolabatúrve,cōcurabo. Quod vt commodiùs pro rerum modo prętare valeam, ex ijs quæ rationis & communis intelligentię patrocinio tuta sunt,probationum stabilimenta comparabo; ne si fortè in lubrico figerentur, inclementi reclamitantium iactatione concussa ruinam darent.Primum igitur omnium dixero, quotidianum & peruagatum vsum, obtusiora vltimæ plebeculæ pectora vsque supérque quàm satis est, fixam tenacissimámque rerum omnium com-

paginem edocuisse. Namque seclusis naturæ interpretum monitis, etiam cę-cutientibus in promptu est, mundi mirificissimum opificem singularum rerum vnitatem, amentis irresolubilibus adeò inter se cōmisisse, vt mutuis quodammodò stent adminiculis, nec sine solida ipsarum rerum pernicie diuelli possint. Quo fit vt omnia quanta quanta sunt, incredibili concentu diuinitùs effecto, ac velut instillato, dissociationi suæ occurrant, peculiarémque statum, quo diuersa sunt à reliquis constantissimè tueantur. Si enim casu aliquo interscindi se tulerint, & secretionem admiserint, cùm alia ex alijs pertinaciter hæreant, quæ nexu mutuo conualuerant diductis quibus sustentantur, corruent, nec ampliùs eadem circunjacentibus, quibus anteà amiciebantur, destituta, eodémve robore redintegrari iura hiantis naturę sinent. Dynastiæ verò, quę velut rerum vniuersitatis cō-

pendia, illarum faciem & statum adumbrare connituntur, haud multùm ab hoc archetypi abludunt specimine, ictúque licet inualido impetitæ, itidẽ grauissima sortiuntur dispendia, & instar hiantis fabricę primùm diù nutãt, dein ruinosæ repentè collabuntur. Nimirùm quia nihil in dominatu monarchico omnium nobilissimo (cùm diuinum maximè referat) minutum adeò aut exiguum est, quod absque insigni decessione interuelli possit, & cuius maiestate perleuiter temerata, nõ prorsus ipsam in abruptum monarchiam præcipitet: ideò quòd cumulatiùs absoluta ob varias suas rationes industriè concinnatas quouis turbine afflata procliuiùs disturbantur, vt liquet in affabrè factis, & humano corpore, quod instrumentorum scatens copiâ, innumeris inualetudinibus & casibus mancipatum est. Quocirca nocituris assultibus viriliter, & in ipso statim exortu,

obſtandum, ac maturata occupatione teterrima iamiamque eruptura rebellantium deſtinata facinora anteuertere neceſſum eſt. Nam ſi princeps poteſtatis ſuæ aciem, quâ vim tenet imperij, hebeſcere ſuſtinuerit, fruſtrà poſtmodùm eandem in noxioſos retuſam edicendo direxerit, qui *extemplò ſimul pares eſſe experint, ſuperiores erunt*: cũ per mediocri ſecundarum rerum prouentu coniurationes inualeſcant, & pronum ad inſequentia lapſum habituræ ſint, vſquedùm hęrentem regio vertici honorem quoquo pacto decuſſerint. Verùm vt inſtitutum acriùs vrgeam, ſicut *faciliùs creſcit dignitas, quàm incipit*, ac *minùs interualli à beato ad beatiſſimum reſtat, quàm à miſero ad beatum*, & quælibet fuſilia igneo feruore liqueſcentia rapidiori decurſu, vbi ſemel diffluunt, penitùs diſſoluuntur; quoniam præcõſummatis iã viribus, prima impugnãtis flãmę colluctatione exinanita oblãguent,

Liuius lib. 34.

Seneca ep. 101.

Seneca ep. 92.

nec alterum eiusdem incursum reuerberare valent: ita laboriosiùs primo accessu regij splendoris amplitudo aliquantillùm libatur aut stringitur, quàm nonnihil admorsa fũditùs excinditur. Ratio huius non alia melior, quàm quod regnis singulare sit, vnâ ferè principum famâ suffulciri, quæ, sicut cæteræ omnes nominis & existimationis species, in atomo & insectili posita est; vnde concidit planè fides in posterum mercatorum qui semel foro cesserint, quia subtili admodùm celebritatis filo suspensa dependet. Præterea populari persuasione plurimùm mentibus inculcata (quæ nostro tamen optimè hæret instituto) semifacta censentur quibus bene habent initia, cùm *in omnibus nouis coniunctionibus intersit, qualis primus aditus sit*, ideoque nouarum rerum molitores quantumuis instrenui, qui principibus exitiosa quęque incogitãt, vbi quidpiam ipsis hactenùs nihil vltra fremitum

Cicero, lib. 13. Ep. 10.

fremitum ausis commodulè ceciderit, totis mentis atque corporis viribus inardescentes, elatiores ducunt spiritus, cùm *prout prima cesserunt, fore vniuersa cõfidant*, tutiorique audentia spes suas vlteriùs iusto promouent, ac demũ, quod longè grauissimum est, ad exoptatum exitum perducunt. Sed dubitationis nodum Scipio Africanus iam olim dissecuit, qui Antiochi regis legatis denunciauit *regum maiestatem difficiliùs ab summo fastigio ad medium detrahi, quàm à medijs ad ima præcipitari.* Solent enim rerum arduarum initia magis ardua esse quàm progressiones, & qui infausta velut præsideratione suscepti operis offendunt in vestibulo, etiam in subsequentibus corruent.

Tacit. in Agr.

Liuius lib. 37.



CAP. X.

LVXARI IMPERIORVM cardines, si extra regium momentosa alieni sint arbitrij.

Tacit. anna. 1



PVD reuera Principes *ea est imperandi ratio, vt non aliter constet, quàm si vni reddatur:* nam quò plus dominationes ab vnitate, itidem & à monarchia in his præstantissima eò ampliùs recedũt, quæ prout eius authoritas pluribus magis minúsve dispertitur, ita adæquè in Democratiam vergit, & à lectissimo diuini regiminis modulo absolutissimam essentiæ monadem etiam in vera personarum Triade referente, tantundem abscedit. Vnde quamuis omnes Dynastæ ad vnum, augustissima Dei simulachra sint, illi tamen quibus solutior in temperanda republica,

& integrior facultas eſt, eius quàm maximè præbent ſpeciem. Verùm nolim hæc eo ſenſu in deterius ab iniquis mihi trahi, quaſi me conſuaſore (quod abſit) quælibet ſummatibus repudianda eſſent conſilia: tantùm enim abeſt huiuſmodi paradoxa à me cudi & effingi, vt adminiſtros illis in quos immenſum publicæ dignitatis pondus reclinent, omnéſque ſuos angores tráſfundant, illis perneceſſarios eſſe deputem, dummodò regnantis potiſſimùm arbitrio, non autem ſuo, deligi ſe, & rerum gubernaculis admoueri intelligant. Quapropter, ne regia poteſtas euaneſcat, & dominatus protelum fruſtillatim diſſiliat, circa rationem cooptationis conſiliariorũ imprimis præcauto opus eſt; qui niſi arcanorum inſpectionem principi, veluti precariam acceptam ferant, plus æquo de arcanis (vt experimentis deprehendere eſt) ſibi vendicare ſolent, cùm vix pauci poſtre-

mas etiam munerum, ad quæ aditum impetrarunt, partes & legitimum modum norint. Quo fit, regna sæpenumerò periculosis incommodis, quorum occulto incremento pedetentim statū in popularem desinunt, inclementer afflari, aut saltem luctuosis casibus grauiter perturbari, quod Ephororū exéplo & incœptione satis edocemur. Siquidem illi in regum subsidium, vt ministri apud Lacedemonios, dirimendis primùm litibus præpositi, effrænata imperandi libidine magistratum tandem proprium Ephoriam instituerūt: exactisque sæpiùs ciuitate regibus, eorum etiam nonnullos ineditâ causâ neci demisêre: quam impotentissimam in rerum dominos tyrannidem indignatus Cleomenes rex, illos epulis accumbentes contrucidari iussit; posteróque die, deturbatis eorundem sedilibus, vnicum iuridicundo sibi reseruari curauit, vt *vnum reipublicæ corpus, vnius*

Tacit. annal.1


animo regendum esse apertiùs in vulgus indicaret. Nullo autem alio admonitu, vt imperiosiori magisterio modum statuant, animique rectum tenorem seruent, talibus boni publici monitoribus opus esset, si cruenti huiusce facinoris cogitatio inexplebilibus eorum animis creberrimè recursaret. Illinc quippe colligerent quantùm eis instet infortunij, quandocunque amplissimæ alienæ messi manus intendentes, ab officio quadantenùs resiliunt, nec premendam esse nimioperè Principum tolerantiam, quæ plerunque stimulo inconsultè lacessita fit furor implacabilis. Nam vtut sit sartum tectum ab omni iniuria imperium custodire contendunt, nihilque mirandum est, permolestum ijs semper fuisse secum subiectos authoritate exæquari, cùm nec à parissimis regna communiter tractari posse Tatij regis cædes comprobet, quam consortis Romuli inductu per- *Liuius lib. 1.*

petratam fuisse, nulla irrogata sicariis pœna perspicuè coarguit. Sed præter damnosissima quæ præfati sumus incõmoda, omnibus pernimiùm in hoc deplorando temporum articulo compertum est, grauiora negotia pluribus consiliariis commẽdata, illicò bis totidem auribus, remissiori vocis concentu temeriter insusurrari, ideoque ad nihilũ recidere. Ad hæc discrepantes inter tantos inoriuntur sententię, quæ vitioso iuxta, ac inemendabili æmulationis concursu, æstuosiùs & vltrà quàm patitur decor, certam in regnorum democratiarúmque perniciem inter se collidi solent: Vnde quamuis Romanis imperatoribus larga altissimorum Senatorum esset copia, qui sedãdis priuatorum controuersiis diem perpetem conterebant, perpauculis tamen vt Agrippâ, Mœcenate, cæterisque primę apud illos authoritatis & fidei viris, in terrarum rectione vtebantur, qui inte-

rioris consilij, in quo totius principatus cardo circũuoluitur, soli cõscij erãt. Quo etiam nomine Liuiam sagaciter Sallustius Crispus commonuit, *ne Tiberius vim principatus resolueret, cuncta ad senatum vocando*, quod deinceps tenaciter adeò Imperatoris sedit animo, vt *principis animum nemini cognitum esse debere censeret.*

Tacit. annal.1

Dion. hist.lib 57.



CAP. XI.

REGES SOPITOS, ET ALIVD agentes posse quidem; experrectos & peruigiles non posse à perduellib⁹ opprimi.

De annoso imperio, legitima longéque exporrecta Principum serie confirmato, sermonem instituo: quod præmonere in rem lectoris cedit, ne perplexabilis inscriptionis ambiguitate se ipsum méque inutiliter exagitet. Quã-

uis enim quotquot celſiſſimas ſedes in populis obtinent, aduersùs viri cuiuſuis primarij rebellantis incurſus, confluente ad eos vndique inferiorum, quibus aliquis officij hæret guſtus, multitudine ſatis admodùm circummuniantur: qui tamen auitis potiuntur dominijs, etſi fortè maiorum moribus non reſpondeant, ſuperioris ac commodioris conditionis cenſendi ſunt: quia ſcilicet vetuſtate regna, & aſſueto, quod in naturam ferè trāſit, obſequio tuta ſunt, nec facilè collabefactantur. His delibatis haud quiſquam diffitebitur, Regem ſeduló ſua munia obeuntē, & velut in procinctu perpetuo ſtantem, ægerrimè ab infenſis opprimi: ſi quidem necdùm facto coniurationum maturè occupandarum initio, quibus pertexendis plurimorum interiectus annorum vix aliquando ſufficit, eas obtutu vnico ſubductis perpauxillùm ſupercilijs radicitùs excutiet: cùm Monarchæ

narchæ ſummâ ſuccincti potentiâ, cui ſemper & vbique pretium eſt, quicquid conantur aduersùs erumpentes perduellium vomicas hoc exequantur, & minimo tandem negotio contumaces malè perdant, & tota velut regni mole obruant. Nam coniurati ſceleris conſcientia lymphato metu perfuſi, inopina eatenùs Regum incurſione conſternantur, vt globus eorum malè ſartus, ad propulſanda quæ ipſis intenduntur pericula, turmatim nequaquam poſſit coaleſcere, ipſi verò tanquam fulminibus impetiti, rigeſcẽtes hæreant, & ne hiſcere quidem audeant, cùm nullo aduentantis Regiæ cateruæ odoramine prænuncio, iam antequàm proſenſerint, obrepſiſſe ipſo facto comperiant. Sic itidem nocturnis in conflictationibus, quia *maior ſpes, maiórque animus inferentis eſt vim, quàm arcentis* ex compoſito in incautos & improuiſos irruentes non rara manet victoria, cùm terro- *Liuius lib. 21.*

rem condensæ tenebræ non mediocrẽ imparatis incutiant. Quòd si idem ipse Monarcha nimiùm indiligens, effusus in luxum vel otium indormiat, inimicorum nũquam oscitantium consilijs, quorum perniciosæ consociationes præfestinatam cùm tument, oppressionem desiderant, locum tandem opportunum aperit: tunc quippe temporis suprema authoritate elanguescente, leges sileant necesse est, imperantisque despicatio subditorum animos subeat, sine cuius præcursione mali nunquam Dynastiæ concidunt. Ex quo semper circa clarum magnúmque nomen prouidis principibus prima curarum fuit, quia *magis famâ, quàm vi stare res suas* ex communi intellectu est, nihilque bellicum aut politicum, quod ad aliquam frugem perduci queat, non in hanc celebritatem, velut in rerum caput, indubitanter intendit. Validissimo demùm huicce commentationi illustrandæ ar-

Tacit. annal.6

gumento sit, amplissimas ac munitissimas vrbes aperto Marte inexpugnabiles, inopina impressione sæpenumerò superari, & eadem quotidie inexperrectis principibus, quæ ciuibus somniculosè custodias agentibus pericula imminere. Absit tamen immodica illa Tiberij ex insidioso suo ingenio, proindéque meticuloso, aliorum animos spectantis anxietas, quâ perpendendis minutiùs suspectionibus intabescens, *solus mœstam vigilantiam & malas curas exercebat*, eáque duntaxat quę difficultatibus prospiciendis, & statuendis remedijs idonea est, momentis singulis adhibeatur. Maxima enim quæque ambigua esse, & in lubrico versari, obuia nos infimarum rerum operositas non illiberaliter edocet, quorum persæpè fallente vestigio, adeptione excidimus, quia desultorio ingenio sunt, nec suum statum tenent. Ex quo, sagaci prænotione, velut experimento non- *Tacit. anna. 3*

nullo, leuiter hæc & illa prætentanda sunt, ne reluctantium turbâ, tanquam laqueis inexplicabilibus inuoluamur, & in ipsosmet authores præposterè meditata recidant.



CAP. XII.

ABNORMI ET FERME cæco subditos officio, regibus mancipari.



VLLA hîc mihi nisi per transennam, ad omnem cauillationem declinandam, sacrorum mentio, ne alieniori ab instituto meo altercatione, cuius ponderi non sufficerem, submolestam & inuidiosam quæstionem addidisse insimuler: sed cùm intrà meræ politices sepimenta considere, aut ad summum circa cœlestis confinia dis-

ciplinæ verſari noſtri operis fuerit,ſuſceptum argumentum ad hanc regulam arctiorem cætera ſilentiò prætervectus excutiam. Quanquam adprobè teneo, quantam in me ferocientium in dies, nouóſque impetus reſumentium monarchomachorum, qui pietatis & ſanctimoniæ Catholicæ peſſimè poſuerunt initia, maleuolentiam concitem. Siquidem rebus & nominibus,vt famã peruerſitatis faciant, vim afferentes, concertatorio eloquio, & ferè bellicũ ad permiſcenda omnia canente, execranda commenta fuco circunlita, ac ex vltimis Orci latebris arceſſita, quæ facie liberioris ſortis ſubblandiuntur, & proiectam loquendi licentiam produnt, ſubaſſentientibus multis, in venenati teli modum iaculantur.Quibus tamen nænijs infructuoſam tantã proteruitatẽ effecerunt,ideò quod vtrumque Eccleſiæ columen, inconcuſſa terreno dominatui ſulcimenta ſubſtruxit,

1.Pet.2 ac si regię quidquid ditioni detraxeris,
Rom. 13. diuino itidem obsequio citra dubitationem depereat. Toto igitur deerrant cœlo, qui inculcatam communi nunquam interquiescente iure, subditis erga Reges obedientiam, Euangelicæ libertatis vnam peccati seruitutem impugnantis præconio, vacuas in auras difflari, inconsultè conijciunt. Vt enim naturę dotes non tollit gratia, sed perpolit, sic eiusdem lex gratiæ Principũ iussis refractarios diris deuouet, fidelium consociatione, tanquam cœlo extorres eliminat, & irrogatæ inferioribus iure gentium obsequentię sedimẽta persolidat. Vnde modò non bonis & modestis, verùm etiam dyscolis parendum esse,
1.Pet.2 Principis Apostolorum edictione inter prima cautum est, ne quocunque obtentu, ac plausibili nomine, in præpositorum sacrosanctum caput & reuerentiam, subditi impressionem darę attentarent. Quin & illud persan-

ctè omni asseueratione affirmarim, Catholicæ religionis cultum & disciplinam maximè præ cæteris prophanorũ omnium & hæreticorum impuris ac deuijs institutis, principatuum rationibus conducere, cùm certam sano tenuissimarum etiam rerum, & singulorum sensuum vsui legem fixerit, cuius ad vnguem vel ratiunculas, syncera exomologesi inconditos quosuis animi motus infrænante, pro tribunali pœnitentię subducere moris est, atq; apud eam duntaxat æqui, decoris, & officij accuratior obseruatio immensùm peruigeat. E diuerso verò effręnes sectarum cateruæ gregales, implacidùm genus, quibus donec vltimum traxerint spiritum, nunquam interquiescere insitum ac ingenitum est, quoniam inquieto tumore, quo obturgescit hæręsis, totis distenduntur pręcordijs, cuiusmodicunque principatus imperia respuunt, & præfracta in Monarchas

aggressione Polyarchijs, aut potiùs Anarchijs adeò properanter inhiant, vt exigui cuiusuis moramenti eos abundè pertædescat. Hæresis quippe mentis quędam aberratio est, sanis mentem excutiens, caligantibus animis, atque in plurimos diductis recessus accommodatissima, quæ sensim infirmioribus illabens, ad planam in Præfectos contumaciam citato pede gradum protollit, quasi ab animo ad corpus, à Deo ad reges, instar pestis & cancri putrescentis hæresis omnes fœdatura leges proserpat, demúmque infernali barathro miserabiliter prędæ sit. Sed ne lõginquùm euagando irretorto obliquóve oculo libelli huiusce obuias rationes obeuntes diutiùs demorer, desuetæ minúsque tritæ quæstiunculæ cardinem paucis dabo, qui neruosæ intrà fines probationis potissimùm circunuertitur. Sicut enim cùm inclinante mundi ætate, flagitijs ad supremæ culmen

men nequitię homines vbique locorũ lasciuirent, frænandæ licentiæ in dies erũpentis, & imperij regum magis firmãdi gratiâ, leges olim inauditę quòd id tempora minùs exposcerent, à Deo, toti orbi de obtemperatione vel summè malis exhibenda Principibus comparatę sunt, quas nondùm conscripserat, quòd primis mundi ineuntis temporibus summa libertate, obedientia ab omnibus prȩstaretur: ita cùm in ea nũc inciderimus tẽpora, quæ subditis frequenter ab officio descisceẽtibus, & à patrijs natiuisque conditionibus fugientibus, enormem pariter atque erubescendam leuifidi & inobsequentis hominum ingenij libidinem palàm ostendunt, augeri earum ipsarum legũ diuinarum intrà ipsas leges interpretamentum debere, plenissimúmque ac propè cęcum regijs mandatis obsequiũ in communi conseruitio adhibendum, omnibus qui frugi fuerint, persuasum

fore mihi persuasissimum est. Quod magni interest ad principatus stabilimentum, vt futelæ scelerosas coniurationes (quæ laruatis pristinę integriorisque disciplinæ reuocandæ nominibus plerunque detorqueri solent) perpetuò recudentium, lippis, bardis ac rudibus dilucidiùs interpateant. Nam qui nihil titubando robur aliquod in iustissimo fecerunt officio, contritas nugiuendorum peruident præstigias, ducúntque despicatui, ne despectui ipsi sint talium technarum conflatoribus, si his regio neglecto obsequio obsequantur.





CAP. XIII.

PREMENDA QVÆVIS in grauioribus administrandis rebus consilia.



VONIAM stylo notissima exigere superuacuum habeo, exemplis potiùs quàm congestis aceruatim rationibus, propositi euidentiam adiuuabo, nec altiùs in illud descendam, non enim ambigi potest *taciturnitatem optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum esse*, & negotiorum cuiusmodicunque fortunatos exitus perindè atque *animum mirè ali silentio*, quod euagantes linguas garrulitate compressa, validissimis retinaculis impedit. Huius autẽ sedulus cultor præ omnibus Iulius Cæsar extitit, qui inconscijs semper commilitonibus meditata contrahens certamina, hostes

Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

Plin. lib. 9. ep. 36.

Sueton in Cæs. cap. 60

antequàm procurrens rumusculus eorum castra peruaderet, multoties edomuit:nec inferiore studio ad conuellendum Reipublicæ statum,quasi aliud
Sueton in Cæs. cap.29
ageret , senatus arcana expiscatus est; cùm alterum Consulem & Tribunorum violentissimum ingenti opulentasset pecuniâ,quorum administerio ad sublime maiestatis imperatoriæ fastigium,aditum sibi exiguo morarũ processu patentissimum præsignauit. Quòd si primarij illi & præpotentes viri ad
Gelliꝰ lib. 1. cap.23
Papyrij Prætextati exẽplum (qui peradolescens à genitore in senatum deductus, faceta calliditate immodicam matris circa deliberata percontationem elusit)reticenda Senatusconsulta optimè continuissent,Romanæ forsan reuerentiam Reipublicæ incredibili subsecutarum calamitatum,& probrosè contracti dedecoris compendio collapsam , in aliquot sæculorum vices gloriosissimè propagassent.Nostra ve-

rò tempeſtate Henricus ille Magnus Francorum Rex inuictiſſimus, Heroicarum omnium virtutum, vtpotè celebrioribus ipſis Heroibus germaniſſimus, æternum exemplar (cuius prolixiori in me immerentem beneuolentiæ nihil non debeo) parili obticentiâ, & planè Cæſareâ in expeditionibus, quibus hæreditarium regnum armorũ tonitru & fulmine, fulmẽ ipſe belli repoſcebat celeritate, hoſtes ſæpiùs repentina & inopina impreſſione, ſtrenuè præter exemplum inuiolato ſemper ingentis & ingenitæ clementiæ nitore, profligauit & occupauit; is tamen & tantus nihiloplus (proh ſcelus) inauditâ illâ regiarũ virtutũ præſtãtiâ euincere potuit, quominꝰ nefanda clementiæ, quã vbique inſtar odoris exhalauerat, remetiendæ ac remunerandæ viciſſitudine, incautus à furiato ſuprà fidem trifurcifero, ferina feralique inclementia, inſidioſiſſimè atque indigniſſimè

occupatus sit. Quo tanto nobis impo-sito vulnere, perculsæ Galliæ liquida indeclinabilis excidij indicia fateban-tur, cùm vndique vetustissimi structu-ra imperij hiantes rimas ageret, & plu-rimi alienas opes depilandi cupidinem speciosis offuciarum generibus, quorũ iam Gallos omnes satias tenet ac per-tæsum est, nequicquam prætexerent. Verùm incredibili Dei benignitate, (quam nunquam demersis & attritis Franciceæ Dynastiæ rebus denegatam esse constat, & hocce præsertim tem-porum articulo sancti Ludouici preci-bus, in nepotum, piæque & fortis sobo-lis gratiam, in singulos dies luculen-tiùs sapida gustatione experimur) sor-didæ huiusmodi, & sæuiore nimbo breui sordidãdas funeribus vestes por-tendente, turgidæ nubes conscissæ & fugatę sunt, proindeque puram tandẽ in lucem emersimus. Sanè portentosi execrandique facinoris commemora-

tione, quòd immaniſſimi cuiuſuis animum commiſeratione tranſadigeret, ſchedas funeſtare impenſiùs exhorreo. At priuatum mœrorem fractæ menti ſingulis momentis incurſantem diſſimulare quî poteram? cùm mihi ex iſta pauciſſimarum linearum exaratione, ijs quorum in manus noſtra hæc qualis qualis ſcriptio inciderit, animi mei ſenſa conteſtante, aliquod leuamen accederet, nullúmque illuſtrius exemplum, aut ſuſceptæ probationi accommodatius in medium vocari poſſet.





CAP. XIV.

FOELICITATEM REGNI constare posse, si consiliarij Principis duntaxat philosophentur.



A est monarchicæ sollicitudinis immensitas, vt quotquot ab omni vetustate fuerunt, etiam prænitentis perspicientiæ Principes, administros sibi ad prensanda consilia semper aliquot delegerint, in quos prægrauis sarcinæ maximam partem reponerent, cùm probissimè tenerent, quemuis vnum etsi laboriosissimum, tanta sub curarum mole, cui plures alternantes sociatis laboribus pares forent, ruiturum, *eúmque qui de sua vnius sententia omnia gerat, superbum esse magis quàm sapientem*, & *neminem esse tam circunspectum, cuius non diligentia aliquando sibi excidat*. Quia verò formidabilis negotiorum

Liuius lib. 44.

Seneca 3. de Ira, cap. 14.

gotiorum congeries,& voluptatum illecebræ, Principes vtplurimùm à rebus gerendis auocant, omniúmque ferè ponderosiorum munerum procuratio penes consiliarios subsidet, certis maximè temporibus, horum potiùs mentem quàm Principum philosophicis institutis formari, maximè consentaneum est, vt sublimium cognitione madidi & imbuti, terrena inferioris ordinis lautè & ęquali animo, suũ cuique tribuentes accurent. *Ideoque melius est vnum malum pati, quàm multos, & melior est Respublica, & propè tutior, in qua Princeps malus est,*(addo & rudis)*eâ in qua sunt amici Principis, mali*(& rudes.)*Siquidem vnus malus potest à plurimis bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab vno, quamuis bono vlla ratione superari.* Quò etiam directè spectat Marci Antonij Philosophi & Imperatoris sententia: *Æquius esse* censentis, *vt tot & talium amicorum,* quibus bellicas & ciuiles res *Lamprid. in Seuero.* *Capit. in M. Anto-*


nio Phi losoph. impertiebat, *consilium sequeretur, quàm vt tot & tales amici suam vnius voluntatem sequerentur*. Platonem nobilissimum philosophum ab ista longè omninò abesse sententia compertum habeo, neque extremi ingenij esse (cuiusmodi meum est) eminentissimo obluctari,

Plinius lib. 1. ep. 20. *Rectiùs tamen arbitror in tanta re, ratione quàm authoritate superari*, quamuis id ipsum perputatę, & iam olim à grauissimis viris effusiùs excussę rationes consuadere videntur, quas ne chartulis redundantia illeuisse manifestariâ iteratione coarguar, missas facio, vt eò celeriùs proximæ Dissertationi aduolem, eiúsque probationem adurgeam.



CAP. XV.

NVNQVAM FERE PVpillaria regna, quamuis flagitijs contaminatissima, à Deo disturbari.



VEMADMODVM terrena regna à Deo in cultus & honoris sui amplificationem instituta, pietate potissimùm, quæ cæteras virtutes confouet, solidantur: ita peccatorum aggestu diuinam excandescentiam prouocant, & pro commerita noxia tandem aliquando plectuntur, iuxta prophetica effata: *Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* Non tamen quæuis flagitiorum licet perampla colluuies, regnis euersionis & excidij solidam causam contrahit, sed expleta illa, & consummata nequitia, singulis regnis & hominibus ad postremam casti-

Amos 9.

gationem promerendam præstituta; Matth. 23. cuius meminit Saluator mundi, Pharisæis quæ in ipsum admissuri essent facinora ad mensuram patrum suorum implendam, & maioribus homicidijs ac sceleribus cumulandam, amabiliter prænuncians: ideoque cùm Deus præ cæteris omnibus dominationibus, Iudaicam Rempublicam deamasset, in plurimis eius delictis perdiù conniuere clementer voluit, populique sui excidium eatenùs protulit, quoad salutis auctore cruci dispessis manibus suffixo, peccatorum omnium quæ excogitari possunt, grauissimum atrocissimo vesaniæ genere perpetrasset. Quamuis autem plurima regna ad hunc immedicabilem limitem, qui prosternendis illis, ac spiritu diuino difflandis præfinitus est, deuio tramite processerint, pupillorum certè Regũ innocentia (quæ Deo semper in leniorem sententiam propendente, innumerabilibus subdi-

torum delictis præpõderat) in aliquod tempus debitæ vbertim animaduersioni subducuntur, ne *pater orphanorum* *Psalm.*
Deus, qui per sacratum vatem solenniter edixit, *pupillum & viduam nolite con-* 67. *Ierem.*
tristare, neque opprimatis iniquè, æquissimi 22.
mandati, cum nonnulla consuetæ misericordiæ, & immensæ potestatis suæ extenuatione immemor esse videatur. Elucent enim imprimis in pupillarium Dynastiarum tuitione, valentissimæ numinis eius vires, cum inualidis, ac veluti torpentibus infantium dextris aduersùs infestas & turbulentas procerum indigenarum consociationes, ac procellosas infimæ plebis sinistris rumoribus illusæ reciprocationes, sceptra teneri stringique iubet, vno vtplurimùm matrum æquè imbellium subsidio, quibus curatorum vicem demandare sæpiusculè vsitatum est. Sic insontes *accipiunt benedictionem à Domino, &* *Psalm.*
misericordiam à Deo salutari suo, qui *infirma* 23.

1.Corinth.1 Psalm 145. Tertullian.l.1. ad vxorem.

mundi eligit, vt confundat fortia: pupillúmque & viduam suscipit, vt *duo ista nomina in quantum despectui humano, in tantum diuinæ misericordiæ exposita esse* iustâ pateat notitiâ. Quocirca nobis persuasum esse debet, in priuatorum negotiis Dei cõcessu humanam prudentiam non inutilem esse, sicut & in publicis, & ad regnorum perennitatem spectantibus rebus parùm valet: vtpotè quorum sibi sub pupillis maximè Regibus, regimen atque administrationem Deus vindicauit.





CAP. XVI.

EXTREMIS REBVS, ſupremóque obnoxijs diſcrimini, Principis iniuſſu, ex re ſæpiùs eſſe conſulendum.



TAMETSI cunćta Principis arbitrio (quoad licet) ſtatuenda, vnámque regum dominatu deuinctis obtemperationis gloriam relictam eſſe non me præterit, ita graues caſus nihilominùs intercedere quotidiano, nimiúmque familiari periculo, compertum eſt, quibus adminiſtri temporis, ingruentiſque cladis anguſtijs coarctati, vix queunt occurrere, ni, quãdo *in rebus aſperis & tenuibus fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt*, ipſo quidem illo inconſulto, è cuius nutu renutúque omnia pendere par eſſet, cum re, pro re *Liu. lib. 25.*

nata,& in ipsa,vt aiunt , arena , animo præsentissimo gnauiter consilium sumant.Patens quippe arduo cuiuis hostium facinori prçpanderetur aditus, pessiméque cúm ijs ageretur , quibus demandatæ prouinciæ vel munia publica permissa sunt , si quoties momentosa instarent negotia Principis lòngo , vt sæpè fit, tractu dissiti, mens esset exquirenda.Dùm enim varia caussando moras innecterent,eiúsque mãdata manerent , quoquouersùm perduelles irrumperent,rémque publicam pessundarent , cùm *ex distantibus terrarum spatijs cònsilia post res afferantur*. Quin &aliquid oculatæ summatum perspicientiæ,& ministrorum captui decederet,si certis adeò mandatis illi , quibus præuio solertiæ specimine arcanorum sensuum curatio concredita est, coangustarentur , vt nec eis tantillùm de suo promere liceret. Quamuis autem huicce effato specie tenus,primuláque

Tacit. hist. 1.

láque inſpectione, quæpiam aliquantulùm refragari videantur, vtpotè quòd iuſſa duntaxat in ſerijs capeſſenda ſint, & ad præſcriptum implenda, neque ſibi æquò plus faſtidioſo ſupercilio arrogãdum; longè plura tamen in aduerſam cedunt partem, quæ impreſſione non modica, vel in ancipiti poſitum inflectere, indubitanter eualerent. Ipſo quippe incentore genio, ingens vltimúmque neceſſitatis telum, *quod in bello maximè ante rationem eſt*, accisis conclamatiſque rebus, dum datur, contorquendum eſt, & graſſantium impetus oggraſſatione retundendus: cúmque moras extrema recuſent, *vbi incumbit neceſſitas non diù diſputandum eſt, ſed celerrimè & fortiter dimicandum*, & vt *in diſcordijs ciuilibus, facto magis quàm conſultò opus eſt*. Summa quoque ratio *quæ ſapientibus pro neceſſitate eſt*, eò temperationis admodùm tenaces, ſuique compotes ſæpenumerò compulit: ſuopte ſiquidem

Curt. lib. 7.

Thucid. lib. 4.

Tacit. hiſt. 1.

Plin. ep. 1.

acumine altissima quæque illatebrata peruadit, omnibúsque hinc inde libratis, quæ debiles animos nonnihil incertarent, speciosis condecentibúsque posthabitis, vtilia, necessaria, & tutiora consilia legit, quæ velut à vulgari remota iudicio, reptantibus proserpentibúsque ingenijs, quibus nullus ad hęc adyta aditus, minimè comprobantur, præsertim quòd *magno animo de magnis rebus iudicandum est, alioqui videbitur illorum*(Principum seu Regum)*esse vitium quod nostrũ est*. Sic & ἐπιείκεια, quę ęquitas, summa ratio, summique iuris moderatio perhibetur, in hoc præsertim posita est, vt verbis legis & imperij prętermissis, vnum illud quod iustitiæ ratio, & communis deposcit vtilitas, pẽsiculatè concuret. Cùm etenim humanorum actuum superior quædam & nullis legibus conclusa regula sit, quâ sublimis illa & regia iustitia dirigitur, rerum coagmenta non solùm, & com-

Senec. ep. 71.

missuras pertentare contendit; sed & earum terebrat penetralia, omnésque ab imo rationes eruit, & solertissimè expiscatur. Nonnulla præterea ita nata sunt, vt iuxta Sexti Pompeij oraculum (à cuius scopo, meo consilio quilibet probus deflexerit) patranda sint potiùs quàm absona & intempestiua efflagitatione exoranda. Non enim vrgenda est modesta Principis reticentia, eique à consilijs interioribus assidẽtium, qui sæpè decore quodam, variisque rerum euentibus, vel aliqua id genus nimia circunspectione inhibiti, cunctáque exuberantissima ingenij perspicacis luce præformidãtes, imperijs compluribus, ne dispalescant, abstinent, quorum iniussa postmodùm confectione lætantur. Sed vbi primùm ex adumbratis antecessionibus mens eorum, quæ facilè rerum progressione colligitur, generatim innotescit, aut illud ipsum quod silent tacitis ambagibus, intelli-

Facere oportebat id, nec mihi præn̄ũtiare Plut. in Antonio

gitur, dura adpetente noxa neutiquam apertiora præstolanda sunt: quinimò cùm vsu constet secunda Dynastis, quæque è re illorum sunt, plurimùm allubescere, *fidémque in præsentia, eos qui- resistit, offendere, deinde illis ipsis suspici & laudari*, quælibet vel dubiosum exitum portendentia, nulla prolatatione interposita, erecto fidentique animo, qui in elatiora quæque fausto conamine eniti potest, audēda sunt. *Multa enim experiendo liquet confieri, quæ segnibus ardua videntur*, illisque perpauxillùm auspicatis, cætera res ipsa, & fortuna Romana expediet. Deum itidem *fortioribus adesse*, iustáque procursantibus in prelia, non minimùm opitulari satis supérque ip[...] vsu exploratum est, quo (si sic effari licuerit) quasi ex æqui bonique legibus adigitur: quoniam fortitudo Charitatis æmula, & velut altera forma virtutum, *quas ad vnam possessoribus fructuosas efficit*, authori summo; cui & à forti-

Plin. ep. 3. *Tacit. ann. 15.* *Tacit. hist. 4.* *Dionys. Halic. lib. 2.*

tudine arrisit nuncupatio, ingrata esse non potest. Præterquàm quòd eorum, qui debitis erga Sacra, Regem & Patriã, officijs ducti veræ insudant fortitudini, Deus iugiter votis affuit. Cùm enim eius res agi videatur quodammodò, accendit proculdubiò, & mouet eorum animos, qui illam promouent, atque adeò eius dictis planissimè obaudientes, nulla quocunque res cadant, detrectãt discrimina, sed vltima audẽtes intrepidè prębent se fato, fata autem viã inuenient, cui etiam vtplurimùm, consilia quibus agglomeratis vndique ingenij viribus impares sunt, non ægrè permittunt, quanta eos pœna & ignominia maneat conscij, qui cum damno publico propriâ inertiâ, languidioribúsque consilijs contracto, resarciẽdo nòn sint, maiorum patritum splendorem, miserandámque posterum sortem ignauo facinore propolluunt. Quoniã verò à gloria Principis, labecula quæ-

Consiliũ cui impar erat, fato permisit. Taci. ann. 6

uis amouenda est, ne illidentibus tantæ Maiestati, genuinum obloquentium probris eius fama noménque patescat, si mandata inuidiosa dederit sponte præuertenda sunt, vt nullo ipsius iussu penes instrumenta imperij acerbitas facti & inuidia sit: quæ æquo adeò animo absque declinatione subeunda sũt, vt illa planè despondeant, eisque lubẽtes inhærescant, ne superiori possint impingi. Ea enim lege reconditarum imperij rationum consortes nobilissimo famulatui mancipantur, vt simul atque regibus, quibus omnia debemus, subseruire occeperint, vix illis deinceps vlla vitæ ratio habenda sit: ideò crebra inter pericula nullis auersatis versari, magnatum vices etiam in leuiculis gerentibus solenne est: quæ quidem vt notiora, omniúmque nusquam non sub oculis posita, stylo minùs indigent. Cæterũ Posthumij Manlijque Torquati duræ animaduersiones in fi-

lios,qui tamen audaculis in hostes aufis haudquaquam, iis fusis,faustą audaciæ forte,exciderant, contextu hactenùs perpetuo affatim constabilitis,minimè gentium officiunt. Patres quippe, iidémque Romanorum ductores exercituum, quos æquum erat consulere,publico aderant cum imperio, cũque *percunte obsequio, etiam imperium intercidat*, & disciplina militaris exolescat,ad coërcendam praui moris glifcẽtem licentiam raro acrioris disciplinæ exemplo opus erat, quo proiecta Ducum authoritas,velut vltione recreata reuiresceret.Effrenis ille namque & solutus singularis cõfertive ineundi certaminis impetus præsertim in liberis altrictiori officio deuinctis, toleratu difficilis erat, & permagni reipublicæ interesse videbatur. Quòd si exemplis agendum est,cæteris quibuslibet insimul singulare Ionathæ non absimile facinus,cuius memoriam nullus vnquã

Tacit. hist. 1.

1. *Reg.* 13.

dies expunxerit, vberrimè præponderat; quando nullibidùm sacratæ chartæ censoriam illi notam inussêre. Bina demùm extremo probationum agmini Tulliana monita, quæ puram putã politicã disciplinam olent, Planco Brutóq; summis olim imperatoribus suggesta, infigendo penitissimè aculeo deditâ operâ reposui: nedùm enim fluitantes animos repetitis ictibus impetunt, vehementiúsque interpremunt, sed etiam quemuis iniectum scrupulum, plusquã satis est, eximunt, vt ipsamet ponderosa verba inauratis meritò notulis exaranda, non obscurè significant. *Tu, quãquam consilio non eges, vel abundas potiùs, tamen hoc animo esse debes, vt nihil huc reijcias, néve in rebus tam subitis, tam angustis, à senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus, quocunque te ratio Reipublicæ ducet, sequare. Cures vt ante factum aliquod à te egregium, audiamus quàm futurum putauerimus: Illud tibi promitto, quicquid à te erit factum,*

Cicero Planco lib. 10. ep. 7.

factum, id senatum non modò vt fideliter, sed etiam vt sapienter factum comprobaturum. Meminisse te velim, vt ne in libertate & salute populi Romani conseruanda, authoritatem senatus expectes nondum liberi. Voluntas senatus pro authoritate haberi debet, cùm authoritas impeditur metu. Nullo publico consilio Rempublicam liberasti, quo est etiam res illa maior & clarior. Ad omnia ita paratus atque animatus esse debes, non vt nihil facias nisi iussus, sed vt ea geras, quæ ab omnibus summa cum admiratione laudentur. Cicero Bruto, lib. 11. ep. 7.

Omnia Romanæ Ecclesiæ judicio submissa sunto.





INDEX CAPITVM.

Q ij

FINIS.



